D. IO. HENRICI SCHVLZII

QVONDAM MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIAE IN REGIA FRIDERICIANA ACADEMIA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM ET PETROPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALIS

THERAPIA GENERALIS

IN VSVM

ACADEMICARVM PRAELECTIONVM

EDITA

A

CHRISTOPH. CAROLO STRVMPFF

MEDICINAE DOCTORE.

HALAE,

SVMTIBVS ORPHANOTROPHAEI

CIↃ IↃ CC XXXXVI.

EX BIBLIOTHECA
JOSEPHI-CLAUDII-ANTHELMI
RECAMIER,
Doctoris magni Parisiensis nosocomii Medici.
No. 7. B.

INDEX.

Procœmium pag. 1

PARS I.

De euacuante methodo 4

SECTIO I.

De euacuatione per vomitum 5

SECTIO II.

De euacuatione per aluum 17

Subſectio I.

De ſimplici alui ductione 18

Subſectio II.

De alui blanda laxatione 31

Subſectio III.

De purgatione 35

SECTIO III.

De euacuatione per ſuperficiem corporis 54

SECTIO IIII.

De euacuatione per vias vrinarias 71

SECTIO V.
De apophlegmatiſmo 80
SECTIO VI.
De ſaliuatione 89
SECTIO VII.
De expectoratione 104
SECTIO VIII.
De euacuatione ſanguinis 114
Subſectio I.
De arteriotomia 115
Subſectio II.
De phlebotomia 118
Subſectio III.
De ſcarificatione 129
Subſectio IIII.
De euacuatione ſanguinis per hirudines 134
Subſectio V.
De euacuationibus ſanguinis naturalibus promouendis 139
Subſectio VI.
De hæmorrhagia narium promouenda 143
Subſectio VII.
De euacuatione ſanguinis menſtrui per medicamenta promouenda 145
Subſectio VIII.
De lochiis, ſecundinis, partuque pellendis 150

Sub-

Subſectio VIIII.
De euacuatione per hæmorrhoides promo-
uenda 154
SECTIO VIIII.
De vermium eiectione 157
SECTIO X.
De flatibus expellendis 161
SECTIO XI.
De ſanguine extrauaſato ex partibus internis
euacuando 163

PARS II.
De alterante methodo 167
SECTIO I.
De incraſſatione 171
SECTIO II.
De reſolutione 174
Subſectio I.
De diluentibus & humectantibus 176
Subſectio II.
De incidentibus & colliquantibus nec non
diſcutientibus 182
SECTIO III.
De correctione humorum deprauatorum, ſeu
cacochymia 194
Subſectio I.
De cacochymia ſalſo - acri benigna corri-
genda 197

Subſe-

Subſectio II.

De cacochymia ſalſo-acri maligniori corrigenda 198

Subſectio III.

De cacochymia bilioſa corrigenda 200

Subſectio IIII.

De cacochymia ſcorbutica corrigenda 202

Subſectio V.

De cacochymia acida corrigenda 205

PARS III.

De motuum vitiis alterandis & corrigendis 208

SECTIO I.

De roborantibus 209

SECTIO II.

De relaxantibus 225

SECTIO III.

De impellentibus ſeu motum excitantibus 232

SECTIO IIII.

De ſedantibus ſeu motum temperantibus 248

Appendix therapiæ alterantis de *ſpecificis* 262

PRO-

ERRATA.

ag. 22. lin. 24 verbaſi leg. verbaſci
50 -- 27 eperitiuam leg. aperitiuam
75 -- 5 🝆li, fixi leg. 🝆i fixi,
80 -- 19 ſalinæ leg. ſaliuæ
81 -- 9 & 10 phlegmati *κώζαζον* leg. phlegmati*κώτατον*,
85 -- 26 moliſſimos leg. molliſſimos
86 -- 20 duriorem leg. duriorum
97 -- 5 ſymptomata leg. ſymptoma.
126 -- 17 oſt leg. eſt
137 -- 21 vel ſecundum leg. ut ſecundum
157 -- 20 ſubſectio X. leg. Sectio VIIII.
161 -- 11 vinum leg. viuum
ibid. -- 18 ſubſectio XI. leg. Sectio X.
163 -- 12 ſubſectio XII. leg. Sectio XI
211 -- 24 ♀ leg. ♀

PROOEMIVM.

§. I.

Therapia generalis vocatur illa pars medicinæ practicæ, quæ fontes pandit, ex quibus remedia ad [m]orbos æque auertendos quam curandos [d]eſumi poſſint, legesque ſingulorum ad [ſa]lutem adhibendorum in genere expo[n]it.

§. II.

Iam ex ſuperioribus repetendum eſt, vi[ta]m æque ac ſanitatem eo maxime conti[n]eri, vt partes ſolidæ legitime conſtitutæ [fl]uidas quantitate & qualitate recte con[ſt]itutas in circulum ſuum æqualiter agant, [&] ſecretionibus, excretionibusque legi[ti]me ſuccedentibus nihil in corpore acer[ue]tur aut ſuccreſcat, quod periculum ſa[ni]tati vitæque ſtruere poſſit.

(Schulz. therap. gen.) A §. III.

§. III.

Quamdiu is ſtatus eſt, homo medica-tione non indiget, ſed ipſa natura corpo-rea nutritionem & conſeruationem eius placide adminiſtrat.

§. IIII.

Quando autem aliquid vitii accidit ſiue in fluidis, vt hæc vel quantitate vel quali-tate peccent, vel ſolidis, vt motui quo-uiscunque pacto obex ponatur, aut vitium inſideat, miniſterium medicum requiri-tur, quo corrigatur illud vitium, quale-cunque ſit, quod ſanitati officit.

§. V.

Vitium illud, quod ſui vel remotionem vel correctionem vel moderamen poſtu-lat, vocatur termino technico *indicans*: *indicatum* dicitur auxilium a conditione indicantis poſtulatum: *indicatio* vocatur argumentatio, quæ declarat indicatum ſiue auxilium ab indicante poſtulari.

Indicatio vitalis, eſt propria Hygieines, & po-ſtulat conſeruationem & augmentum eius, quod in corpore eſt integrum: ei vero ſa-tisfacit diæta congrua.

§. VI.

Quicquid in hac parte tradendum eſt, eo redit, vt tradantur tenenda de I. *euacuatione.* II. *alteratione* ſeu *correctione humorum.* III. de *motuum vitiis corrigendis:* quibus accedere debet IV. diſquitio de ſic dictis *ſpecificis*, ſeu morborum remediis, quæ nec manifeſte alterando, nec euacuando, nec alio ſenſibili modo morbum tamen tollunt.

§. VII.

Adeoque quatuor capitibus tractatio hæc abſoluetur, quorum ſingula in ſuas ſectiones ſubdiuidenda erunt.

§. VIII.

In ſingulis attendendum erit ad ſeptem momenta, quæ memoriæ cauſa his verſibus ſunt incluſa:

An, quid, quoque modo, medio, quo fine, locoque?
temporis & puncto poſſit natura moueri.

Hæc vt in hac doctrina generatim proponantur neceſſe eſt, vt quando indiuiduum curari debet, generalium regularum meminerimus. Nam praxis ſpecialis, quando ſuadet fieri euacuationem, e.g. per vomitum, ſemper ſupponit, vt indiuiduum tale ſit, quod ferre poſſit remedium, & ſic porro.

PARS I.

DE
EVACVANTE METHODO.

§. VIIII.

Docet hiſtoria medicinæ antiquiſſima remedia merito haberi *euacuantia*, ad quæ inuenienda & in vſum trahenda ipſa mortales natura deduxiſſe videtur, quæ ſæpe ſponte vomitu, diarrhœa, ſudore, vt & per ſpontaneas hæmorrhagias, corpus onere vel ſuperfluorum humorum, vel adſumtorum noxiorum, vel in corpore corruptorum, leuat.

§. X.

Late autem patet methodus hæc euacuans: ſed in vniuerſum diſtribui poteſt in *pharmaceuticam* & *chirurgicam*.

§. XI.

Ad *euacuationem pharmaceuticam* pertinet euacuatio quæ fit per 1) *vomitum*, 2) *purgationem* late ſumtam, quorſum & referimus *laxationem* & *ſimplicem fæcum eductionem* per infuſa enemata & ſuppoſitoria, 3) *diaphoreſin*, 4) *diureſin*, 5) *apophlegmatiſmum*, 6) *ſaliuationem*, 7) *expectorationem*, & denique 8) *promotionem euacuationum naturalium*.

SECTIO

SECTIO I.

DE EVACVATIONE PER VOMITVM.

§. XII.

Vomitum Græci vocant *emeſin* & medicamenta vomitoria dicunt *emetica.*

§. XIII.

De hac euacuatione vel hiſtoriæ cauſa no-
ari debet, quod quum veteribus illa fre-
uentiſſima fuerit, vt aliqui bis quouis men-
e vomerent, alii quotidie, ab illis tamen in
unc finem raro adhibita fuerint pharmaca
metica, ſed quod hic vomitus diæteticus le-
iſſimo apparatu mechanico peractus fuerit,
e quo videatur Celſus I, 3. p. 32. & diſp. mea
e athletis veterum.

§. XIIII.

Cum ante non multos annos methodus
æc reuocata fuerit, ſed fere in herba ſup-
reſſa fuerit eadem, quum ab *excutiis ven-
riculi,* quo nomine inſtrumentum ad vſum
euocatum appellabant, noxæ quædam gra-
es obſeruatæ eſſent: dicendum hic paucis
ſt, non oportuiſſe, quod vitio inepte parati
ſtrumenti accidit, ad vniuerſam methodum
pprimendam conuerti: poſſeque illud in-
rumentum rite prouideque elaboratum in-

ſignem habere vſum ad ventriculum cibo po-tuque ſuperoneratum breuiſſima via liberan-dum: vt & in illis, qui poſitiue noxia adſum-ſerunt, vt euacuatio fiat ſine hyperemeſeos aut augendæ ventriculi inflammationis peri-culo.

§. XV.

Scilicet non alio modo, quam fauces irri-tando, agit, & potiſſimum ſtimulando os ventriculi ſuperius: qui tamen ſtimulus irri-tatorius illico ceſſat, quam primum inſtru-mentum retrahitur, nulla remanente nauſea nulla debilitate.

§. XVI.

Si quis ieiunus ventriculum euerrere ho-pacto cupit, opus eſt, vt ipſi prius infunda-aliquod vehiculum, ſcilicet aquam tepidam lac vel ſerum lactis, quibus addi, ſi opus vi-detur, ſal aliquod digeſtiuum poterit: ſi ve-nena ſumta fuerint, præter lac pinguia, v-oleum aliquod, accedant neceſſe eſt.

§. XVII.

In teneris infantibus ventriculi inflation-vexatis & male habentibus, præſertim vb-lactis coagulati & aceſcentis iuſta ſuſpicio eſt adhiberi poteſt *faſciculus pennarum anſerin-caudæ extractarum oleo quodam imbutus*, in-que ſummis faucibus agitari, quam titillatio-nem vomitus mox ſubſequetur & ſaluberr-

mi-

mus & omnium, qui excogitari poſſunt, in hac tenera ætate tutiſſimus.

§. XVIII.

Hæc vt in tranſitu dicenda fuerunt viſa ita nunc conſiderabimus, quo pacto agant proprie dicta *emetica pharmaceutica.*

§. XVIIII.

Quicquid vomendi cauſa datur, pollet ſale quodam acri ſtimulante &, ſi maiori copia detur, arrodente ſceptico, plus minus venenato, quod, dum ventriculi plicis inſinuatur, agere in illas incipit pro indole ſua, dumque in ventriculo commorantes humores illius particulis imbuuntur, mox in vniuerſam humorum maſſam ſe diffundit ſubtilior volatilis portio, vt alteratio quædam per totum corpus ſentiatur.

§. XX.

Primus fere effectus eſt, vt ſpasmodica quædam externi corporis habitus ſtrictura obſeruetur, vnde homo pallet, & ſæpe horrore quodam perfundi ſe ſentit, humoribus ad interiora compulſis & detentis.

§. XXI.

Mox ſuccedit virium notabilis reſolutio quaſi lipothymica, cum ſcotomia, quam mox inſequitur valida diaphragmatis muſculorumque abdominis conſtrictio ſpaſmodica, cum periſtaltici motus ventriculi & inteſtinorum ad ſuperiora reſtrictione valida, ſub

qua reiicitur, quod in ventriculo contentum fuit.

§. XXII.

Si vno excuſſionis actu irritans illud venenoſum excuti non potuit, toties repetitur, donec omnino excuſſum fuerit, quod motus hos ſatis violentos primum excitauerat.

§. XXIII.

Sub hoc actu non ſolum id, quod in ventriculo actu præſens fuit, elidi, ſed &, vi inuerſi motus periſtaltici, ex proximis inteſtinis aliqua adduci, manifeſtum fit ex bilis copioſa reiectione, quæ fere finem actui huic imponit.

§. XIIII.

Hic ſimpliciſſimus videtur modus explicandi phænomena illa, quæ in vomitu apparent: vbi parum moramur reuera otioſam quæſtionem, an effectus vomitorius magis medicinæ actioni & reactioni naturæ corporeæ, an ſapientis animæ directioni tribui debeat.

§. XXV.

Certe ipſi, qui tantopere delectantur animæ occupatione vbicunque ſtabilienda, non diffitentur, animam ſeu principium vitale hoc facere ob ſal aut particulas ſalino-♁eas reſinoſas rodentes & ſtimulantes, adeoque nec velle nec poſſe videntur negare medicamenti talem naturæ inimicam conditionem, quæ ro-

den-

dendo, ſtimulandoque ſic, vt diximus, operetur.

§. XXVI.

Si quis de efficacia talium remediorum rodente & ad inflammationem diſponente multis conuinci cupit, adeat Cel. Wepferi de cicuta aquatica libellum & experimenta plurima ibi inueniet, quibus hæc adſertio luculenter comprobatur: conferatque illud phænomenon hominum iracundia grauiori percitorum, qui ad vomendum continuo irritantur, ex eo, quod ipſorum ventriculus ad inflammationem ruit. Addatur diſſert. Illuſtris Hoffm. de medicina purgante & emetica poſt grauem iracundiam veneno.

§. XXVII.

Quum itaque talis ſit conditio medicinæ emeticæ, merito quæritur, an omnino boni viri ſit, talem porrigere: & an ſaltem dare omnibus liceat.

§. XXVIII.

Ad primum itaque reſpondemus, non debere nos propterea, quod medicamentum aliquod veneno ſimiles vires exſerit, vſum omnem proſcribere; ſed in eo ſitam eſſe artem, vt venenoſam qualitatem vſu tempeſtiuo circumſpecto ita poſſimus ſubigere, vt fiat ſalutaris medicina.

§. XXVIIII.

Hoc vero fiet, ſi non ſolum illa remedia ad-

 hibea-

hibeamus, quorum vſum longa experientia certum docuit: verum etiam ita adhibeamus, vt ſubiecti rationem probe examinemus numquid ſit quod vomitum prohibeat, aut, vt in ſcholis loquimur, contraindicet.

§. XXX.

Medicamenta ſelectiora ſunt:

A. Ex regno minerali.

♀rus emeticus *🜍ur ♁ij ☉atum*	in ſubſtantia.
Vitrum ♁ij *Crocus metallorum* *Regulus ♁ij*	in infuſo.
▽ benedicta Rulandi *Oxyſaccharum emeticum* *Angeli Salæ* - - - *Ludouici* *Sapa vomitoria Syluii*	infuſa ſuperiorum officinalia.
Mercurius 🜄tatus ruber *Turpethum minerale*	certis tantum caſibus reſeruanda.
Vitriolum album. ⊖ ⊕*-li vomitorium ſeu Gilla Theophraſti.*	itidem certis caſibus.

♁ium diaphoreticum cum ⦶i duabus partibus detonatum pro infantibus.

Lap. Lazuli.

Armenus.

B. ex regno vegetabili.

α). Simplicia.

Rad. aſari

Rad.

Rad. ipecacuanhæ
iridis noſtratis cæruleæ & Florentinæ.
Fol. aſari
gratiolæ
nicotianæ
Gemmæ ſambuci & ebuli
Flores iaceæ
perſicorum.

β) & Præparata
Oxymel ſcilliticum
Syrupus fl. perſicorum.
iaceæ.
nicotianæ.
Extr. nicotianæ.
aſari.

Quorum ſingulorum vſum & adhibendi conditiones ſupra indicauimus.

§. XXXI.

Vomitum impediunt ſequentia: Si quis ſit experientia edoctus, quod difficillime vomat, ſi herniam habeat aut ſtrumæ initium, ſi femina grauida ſit, ſi plethora inſignis adſit, & ſanguinis congeſtiones vel ad caput, vel pectus, vel aliquod viſcus venæ portæ contiguum manifeſtæ ſint, ſi hæmoptyſi aut vomitu cruento iam tentatus fuit, ſi quis ſit valde debilis, phthiſicus, hecticus, ſi quis poſt grauem iracundiam vomituriat, aut in principio acutorum, præſertim peſtis, vomendi

mendi conatus iam perſentiſcat, ſi calculo laboret.

§. XXXII.

Nec facile in menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſione ad hoc remedium deueniendum eſt. Infantilem quoque ætatem plerumque eximunt auctores vomendi neceſſitati, niſi benigniſſima adhibeantur.

§. XXXIII.

Vomitus ſuadetur, indicatur, permittitur in hominibus euemetis, ſi a nimia ciborum repletione male habent, ſi cruditates nidoroſas ſentiant, ſi cum nauſea aliquid, aut cibum duriorem adſumſerunt & incommoda hinc ſentiunt, ſi hinc in febrem intermittentem lapſi ſunt, ſi quis a diæta notabiliter mutata male habeat, ſi ventriculus longo tempore nec recte appetit nec concoquit, & hinc crebræ oriuntur cephalalgiæ.

§. XXXIIII.

Specialiſſimæ cautionis & diiudicationis res eſt in delirio ſine febre ſeu mania, in principiis febrium acutarum ventriculo manifeſte repleto ſuperuenientium, in partu difficili, catarrho ſuffocatiuo & apoplexia feroſa, vt & venenis adſumtis.

§. XXXV.

Si iam matura deliberatione habita vomitum concitare placet, modum ante omnia oportet rectiſſimum eligere. Concernit hæc

conſideratio, vtrum ſit ſimpliciter eiicienda materia in proximo hærens & ad motum apta, vt tantum ſtimulus requiratur: an vero eadem ſit tenacior altiusque impacta & partibus etiam vicinis inhæreat, vt præparatione digeſtioneque egeat, quo poſſit, tamquam vecti adhibito, tolli & emoueri.

§. XXXVI.

Priori caſu ſufficit in euemetis, ventriculo cibis repleto, ſimplex faucium irritatio, digito faucibus altius immiſſo, pinna vomitoria, vel inſtrumento, quod recentiores vocarunt excutiam ventriculi: idemque commodiſſime adhibetur, ſi quis venenum ſe per imprudentiam ſumſiſſe animaduertat: quo caſu inſuper opus lac, florem lactis, cremorem auenaceum, oleum oliuarum vel amygdalinum cum iuſculo aut prædictis largiter bibere, donec redeunte vigore naturali ſentiatur venenum expulſum eſſe.

§. XXXVII.

Altero caſu neceſſarium eſt vno vel altero ante vomitum inſtituendum die præbere humectantia, incidentia, præſertim talia, quæ ſale abſterſorio digeſtiuo pollent, vt ex vegetabilibus radix ari, zingiber, pyrethrum, ſinapi, aut ipſa potius ſalia media, vt ♀ ⊕-latum, arcanum duplicatum ⊖ abſinthii, centaurii minoris, card. bened. & ſimilia eiusdem generis. Quibus, ſi bilioſa acrimonia

ſimul

ſimul adſit, addi poſſunt abſorbentia & ⦶oſa.

§. XXXVIII.

Veteres in præparatione ad ſollemnem vomitum veratro peragendum plures dies tribuebant, vt corpus clyſteribus, balneis, frictionibus bene præparatum omniaque aperta redderent: ex qua methodo illa ſaltem ſollicitudo ad exemplum trahi debet; de quo legatur diſſertatio de elleboriſmis veterum.

§. XXXVIIII.

Poſt præparationem detur medicina vomitoria, mane ieiuno ventriculo cum vehiculo neceſſario adſumenda, homoque blande obambulet, donec ſentiat operationem iam incipere: tum iuuat bibere cereuiſiam calefactam modico butyri emollitam, aut cremorem auenaceum, aut infuſum theæ vel coffé vel iuſculum adſumat.

§. XL.

Segniorem operationem excitat obambulatio & blandus motus: nimis ferocem compeſcit quies.

§. XLI.

Si omnino hyperemeſis accidat, nihil promtius eſt ad auxilium vino calido aromatiſato, aut, ſi conditio ægroti compendia quærere iubeat, hauſtu Elixir vitæ Matthioli vel ▽ vitæ carminatiuæ. Si fortioribus opus videatur, diaſcordium Fracaſtorii, vel theria-

ca

ca detur vel laudanum liquidum Sydenhami, præmiſſis tamen dictis mitioribus.

§. XLII.

Externe in tali caſu operæ faciunt pretium olea carminatiua cum tantillo Zibethi vmbilico & regioni ventriculi illinenda, nec non imponenda emplaſtra de cruſta panis, de tacamahaca, ceratum de galbano.

§. XLIII.

Maniacis curandis præſtat ſæpe per vices vomitoria mediocria dare & ſic per gradus ſuccurrere, quam præcipitato auxilio. Spectatæ virtutis tali in caſu eſt Sapa vomitoria Syluii, quam & laudari videas ſub nomine Sapæ ♁ij Tilemanni.

§. XLIV.

Vbi mucum pulmonum bronchiis illapſum catarrhumque ſuffocatiuum minitantem incidere & diſſipare præcipua eſt intentio, pariter præſtat ſæpe parum agere per Oxymel Scyllinum, Sapam vomitoriam aut 🜍 ♁ij ☉ratum, quam negotium præcipitare.

§. XLV.

Fundamentum huius curationis in eo conſiſtit, quod vomitu peracto obſeruatur ſubſequi effectus laudabilis diaphoreticus, excretionem per corporis ſuperficiem inſigniter augens, prægreſſa ſcilicet attenuatione viſciditatis & meatuum apertione.

§. XLVI.

§. XLVI.

Hac obſeruatione practici celebres edocti fuerunt, in retrocedentibus exanthematibus cito confugere ad eiusmodi blanda vomitoria, quæ operatione peracta feliciter ſolent reuocare exanthemata: quod Syluii diſcipulorumque praxis quotidie non ſine fructu agit.

§. XLVII.

Vbi febres intermittentes curandæ ſunt, aliqui præ reliquis laudant ⊕-lum album, quod peracta operatione adſtrictionem quandam poſt ſe relinquit: quod celeberr. Andr. Gundelsheimeri familiare fuit remedium, præſertim pro militibus.

§. XLVIII.

Quousque vomitus tolerandus ſit, antequam curemus ipſum inhibere, multa præcipiuntur non ſatis certo fundamento innixa. Sex vel octo vomitus tolerari debent & posſunt: ſed & poſſunt quatuor vel quinque ſufficere. Bilem primis ſtatim vomitibus prodiiſſe nec ſufficientis nec inſufficientis nota haberi poteſt, quum res pendeat a quantitate bilis maiori vel minori, quæ in cyſtide præſto eſt & ſub illa conſtrictione abdominis indeque pendente hepatis preſſione in duodenum expellitur, motuque periſtaltico inuerſo ad ventriculum rapitur. Aliqui autores ſpaſmum ventriculi ad capſulam Gliſſonia-

ſonianam ductus biliarios includentem pro-
pagari docent, vnde & ex hepaticis omnem
ilem exprimi & propelli opus ſit, quod
ullo pacto repugnat veroſimilitudini.

§. XLVIIII.

In omni hyperemeſi eo anniti oportet, vt
iſcutientia optima, etiam ſedata illa, adhi-
eantur, quum magna ſit ſuſpicio, ſub tam
iuturna ſpaſmodica ventriculi tunicarum
rictura, partem humorum libero itu reditu-
ue prohibitam ad ſtaſin ſubeundam procli-
em paratamque eſſe redditam: vnde non
ro videmus, febres inſequi inconſultum ma-
que ſuccedentem vomitum, iamque præ-
ntes febres, præſertim inflammatorias, eo
axime turbari & exacerbari.

SECTIO II.

DE

EVACVATIONE PER ALVVM.

§. L.

Doctrina de *euacuatione per aluum* late
patet, adeoque merito ſubdiuidenda
obis erit, vt diſtincte agamus 1) de *ſimplici*
ui ductione, vt fæces retentæ excludantur,
de eiusdem laxatione per blanda medica-
enta, 3) de *catharſi ſeu purgatione ſtricte*
cta.

Subſectio I.

DE SIMPLICI ALVI DVCTIONE.

§. LI.

Aluum ducere Celſus noſter, præeunte Hippocrate, fere tantum accipit pro eo auxilio medico, quando infuſo *enemate* retentæ fæces educuntur: ſed licebit nobis ſub hoc titulo complecti non ſolum quod per *clyſteres*, *ſuppoſitoria*, *globulos*, molimur, verum etiam *alui per benigniſſima medicamenta*, quæ *lenitiua* vel *eccoprotica* vocari ſolent, emollitionem.

§. LII.

Neceſſitatem huius auxilii facile perſuadebit conſideratio noxarum, quæ a retentis alui fæcibus corpori enaſcuntur, de quibus in pathologia dictum eſt.

§. LIII.

Atque hic perpetuus alui ſucceſſus, vt in ſtatu ſano perpetuo optabilis eſt, ita in pleriſque morbis ægrotantium optimis rebus conſeruatur, excepto caſu exanthematicorum, vbi aliquanto tempore aluum nullo pacto ſollicitare conuenit: de quo ſuo tempore pluribus agetur.

§. LIIII.

Neque nunc, præter dictam, alia occu-

r

rit exceptio, niſi forte huc trahere velimus, quod puerperæ tribus prioribus diebus non nimis officioſe aluum curare conducat: & quod in genere feminæ, ſine ſanitatis reliquæ detrimento, ſegniorem aluum viris habeant, ita vt ſint, quæ ordinarie tertio aut quarto quoque die aluum deponere conſueuerunt, absque ſanitatis vllo detrimento.

§. LV.

Si cui itaque ſub his exceptionibus non comprehenſo alui beneficium deficiat, ſuccurrendum eſt niſi conſtiterit, ciborum abſtinentiam notabilem aut præter conſuetum ordinem adſumtorum ſumme nutritiorum paucas fæces relinquentium, qualitatem in moræ huius culpa eſſe, & ipſe homo retentionem illam ſine incommodo ferat.

§. LVI.

Quod ſi igitur fæces ad exitum inuitare placet, habemus primo *ſuppoſitoria*, quæ Græcis hypotheta, nec non balani vocantur, nec raro Latinis *glandes* aut *globuli*.

§. LVII.

Hi ano intruduntur, vt partim mole, partim lubricitate & acrimonia, motum expulſorium excitent, deſcenſumque fæcum per inteſtina lubricata faciliorem reddant.

§. LVIII.

Parantur vel ex domeſticis rebus leniſſimis, vel ex acrioribus pharmacopœo concinnanda ſuppoſitoria præſcribuntur.

§. LVIIII.

Leniſſima ſunt, quæ fiunt ex lardo ſale pauculo conſperſo, ex fruſtulo candelæ ſebaceæ, ſapone, ficu exacinato & inuerſo, oleoque macerato, ex paſſulis maioribus exacinatis, inuerſis & oleo ſupra ignem emollitis, ex melle ad conſiſtentiam cocto, addito pauxillo ſalis, muſcerdæ, ſeminis cumini, ♀ foliorum rutæ, globuli moſchati.

§. LX.

Quando acriora volumus, addere melli aut ſaponi iubemus aliquid ſpecierum hieræ picræ, aut fel tauri inſpiſſatum, cum ⊖e gemmæ aut ⌽o.

§. LXI.

Notandum autem fuerit circa ſuppoſitoria acriora, quod illis, quibus inteſtinum exulceratum eſt, vt in his, qui hæmorrhoidarii ſunt, nec non in grauidis dari non debeant, quia teneſmum facile excitant, prolapſum inteſtini inducunt & hæmorrhoides facile cient, vnde ſuo loco dicendum erit, quo pacto ad hæmorrhoidas vtili conſilio adhibeantur. Porro obſeruauit iam Rufus Epheſius, fœtus in vtero acrioribus glandibus corrumpi & exturbari.

§. LXII.

§. LXII.

Præcipuus globulorum vſus eſt, quando
clyſteres iam immiſſi diutius morantur, nec
obſtructionem expediunt: quo caſu, ſi alias
nihil prohibet, paulo acriores licebit intru-
dere.

§. LXIII.

Si præter alui obſtructionem etiam colici
dolores vrgent, admiſceri poteſt commode
Oum. Celebrantur hoc caſu globuli car-
minatiui Vtechti, quarum deſcriptionem
hanc tradit D. D. Zwingerus in diſſertat. p.
95: ℞ ſapon. ven. ℥iiij fell. tauri ℥jß Oi ℥ß
ſacch. ℥ij. M. F. globuli diuerſæ magnitu-
dinis.

§. LXIIII.

Si hæmorrhoides cæcæ adſint, præcipue ſi
paulo interius latitent, vel plane abſtinen-
dum eſt a ſuppoſitoriis, vel ſaltem ab illis,
quæ mel adiunctum habent, quoniam ad
maturationem diſponunt: idem eſto de ficu-
bus iudicium.

§. LXV.

Clyſteres, qui & *enemata* & *infuſa* vocan-
tur, ad fæces aluinas educendas longe vtilio-
res apparent, quippe non ſolum motum ſti-
mulant, ſed & materiam ipſam emolliunt &
eas lubricant, & calore inteſtinum demul-
cendo ſpasmodicas abdominis ſtricturas, ma-
gne naturali methodo, tollunt.

§. LXVI.

Horum quantitas corporis magnitudini eſſ apte admetienda: feminis adultis ordinarie maior liquoris menſura tribuenda eſt, quo ampliora plerumque ſunt ipſorum inteſtina: poteſtque libræ vnius pondus aliquot vnciis impune excedi.

§. LXVII.

Itidem parantur vel ex rebus domeſticis: iure carnium, cremore hordei, auenæ, lacte cum ⊖e. ☍, butyro, melle, ſaccharo aut ſy rupo: vel adhuc ſimplicius aqua ſalſa aut [..] hominis ſani: vel magis artificiales præſcr buntur a pharmacopœo concinnandi deco quendo herbas & radices emollientes, qu bus nonnumquam addantur herbæ, radice immo ſemina ex carminatiuorum claſſe. C laturæ deinceps addi, pro diuerſo ſcopo, ſ lent, electuaria & confectiones, vt de bacc lauri, hieræ picræ, lenitiuum, confectio h mech: non raro vitellus oui, olea cocta, anethi, coſti, chamæmeli, aut expreſſa lin papaueris, amygdalarum, aut inſolatione p rata, vt fl. verbaſi, liliorum alborum.

§. LXVIII.

Atque hæc eſt ordinaria clyſterum euac andi ſcopo datorum, materia: quando aute præter euacuationem ſimul aliæ concurru indicationes, non raro addi illis alia varii g

ne

neris ſolent: quin ſæpe omnino euacuatio-
nis ſcopus penitus negligitur.

§. LXVIIII.

Sic vbi homines eo ſtatu ſunt, vt per os nutriri nequeant, iniici ſolent clyſteres nutrientes, ex lacte, iure carnium, gelatinis nutritiis.

§. LXX.

Vbi inflammatio in renibus aut inteſtinis, vel vtero adeſt, aliquando camphora, ♒theriacalis camphoratus, MR. ſimplex adduntur, nec non ☽.

§. LXXI.

In dyſenteria terebinthinam vitello oui ſubactam ſolemus addere.

§. LXXII.

De variis compendiis ratione inſtrumentorum, quibus enemata iniiciuntur, videri debet chirurgia. Aliquæ nationes ſolent fumum tabaci certa enchireſi inteſtinis immittere ad aluum ſollicitandam: ſed eſt remedium incertæ efficaciæ, & quod in aliquibus vehementiſſimam operationem exſeruiſſe legitur.

§. LXXIII.

Aliqui clyſteribus febres abigere, duce

Fullero Anglo, nituntur, qui decoctum ſaturatum ex ℥ij cort. chinæ parat, eique diaſcordii Fr. ℥ß addit: ſed non admittitur hæc methodus a noſtratibus practicis.

§. LXXIIII.

Interim clyſteres ex tonicis roborantibus parati non ſunt omnino repudiandi maximeque faciunt operæ pretium in diarrhoeis colliquatiuis, ſpasmis hyſterico-hypochondriacis, calculo a diſpoſitione: vt ex veronica, betonica, mitioribusque aliis cephalicis.

§. LXXV.

Circa clyſteres cautio ſit, ne poſt applicationem factam cannulæ ſollicita repurgatio omittatur, quoniam morbi contagioſi, vt dyſenteria &c. facile ſic poſſent communicari cum aliis.

§. LXXVI.

De clyſteribus præcipi ſolet, ne facile dentur hernioſis, quoniam ſæpe obſeruatum eſt, ab eorum vſu inteſtina incluſa magis fuiſſe expanſa & repleta: facilius ferunt ſuppoſitoria.

§. LXXVII.

Sunt, qui clyſteres actu frigidos in dyſenteria commendant: ſed multæ obſeruationes, ipſaque recta ratio illum vſum diſſuadent.

§. LXXVIII.

Progredimur nunc ad illa, quibus per *os ſumtis aluum benigniſſimo modo ſoluere* licet. Talia vocantur in ſcholis *lenientia*, vel *eccoprotica*, vel ex vſu Arabicæ ſcholæ *benedicta*, quoniam leuia ſunt ac ſine moleſtia ventriculum & inteſtina expurgant a ſordibus, vt bene de illis dicere, quisquis expertus eſt, debeat. Gradu differunt a laxantibus, ſaltem ex hodierno vſu, quippe ab his mediocris purgatio expectatur, ab illis ſimplex alui retentæ recluſio.

§. LXXVIIII.

Quo ipſo tamen non licet ſpondere ab illis, quæ vt plurimum lenientia tantum ſunt, non aliquando ſubſequi poſſe aut ſolere tantam euacuationem, quæ euentus reſpectu purgatio dici mereatur. Nam quum ſæpe accidat, vt homines ſponte ſua diarrhœas incurrant, fieri per accidens poteſt, vt poſt talium vſum eidem homini, cui alio tempore vix vnam ſedem mouerunt, plures & copioſæ moueantur.

§. LXXX.

Talia ſunt vel dulcia fermentante principio prædita, vt quotidie obſeruamus, muſtum vel cereuiſias nondum fermentatione ſufficienti defunctas deiectionem, præuia alui inflatione, moliri: vel principio ſtimulante

ſimpliciter agunt, vt ⊖ia: vel denique principio ∞ſo emolliente & aſperitates, ſiccitatemque viarum, tollente gaudent: vel copia ſua aluum perluente, fæcesque reſoluente, iuuant: vel denique ſimul pluribus ex dictis his dotibus pollent.

§. LXXXI.

Ad priorem claſſem pertinent poma, pira, paſſulæ tam maiores, quam minores, pruna damaſcena, mala perſica, cocta & cum ſaccharo apparata: vina recentia, vini tartarus, manna, caſſia, tamarindi, myrobalani, granata.

§. LXXXII.

Ad alteram claſſem referenda ſunt ſalino ſtimulo agentia, vt ⊖ia plantarum per incinerationem facta, ſalia media, ♀ ⊕-latus, ♀riſatus, 🜃 foliata ♀ri, arcanum duplicatum; denique ipſum ⊖ culinare, ſiue marinum, ſiue gemmæ, ſiue fontanum, ⊖ thermarum & acidularum, ipſumque nitrum, borrax, ⊖✳cum, quæ ſingula ſufficienti quantitate ſumta, & vehiculo idoneo adiuta aluum notabiliter ſtimulant, quin magna copia adſumta ſatis vegete purgant, quamuis ſine moleſtia.

§. LXXXIII.

Oleoſorum nomine præcipue laxatiuo ſcopo expetitur illud amygdalarum expreſſum: ſed & oliuarum, nec non lini, ſcopo ſatisfaciunt.

§. LXXXIIII.

Modus agendi ſatis manifeſtus videtur eſſe, quod lubricando vias efficaciam ſuam exſerant, ipſasque fæces ſubeundo & diluendo illas: ſed & nuper aliquis auctor Gallus 🝆is peculiarem aliquam virtutem irritatiuam ſtimulantem aſſertum iuit, argumento doloris & irritationis, quæ exoritur, ſi guttula 🝆 amygd. d. oculo inſtilletur; haud tamen ſcio, an ab oculo ad inteſtina ſatis iuſta ducatur concluſio.

§. LXXXV.

Dantur olea quam optime cúm iuſculo, & hoc pacto aluum ſatis promte leniunt, ipſo aquoſo iuſculorum in emolliendis fæcibus ſymbolam haud inutilem conferente.

§. LXXXVI.

Sed & poſſunt non male iungi cum manna aut ſyrupo quodam laxante, vt roſarum ſolutiuo, violarum.

§. LXXXVII.

Alia eſt ratio olei balanini, ſeu nucis been, ricini, quod veteribus vocabatur Kikinum, & ricini Americani, quippe quæ veri & fortis purgationis effectum edunt ob ſal catharticum acerrimum, quo pollent, de quo ſuo loco.

§.LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Superſunt, quæ copia aquoſi principii aperiunt & ſcite a Pechlino vocantur *eluentia*: inter quæ merito regnat aqua quæuis bona, viua, læuis. Sed longe magis hoc facit, quæ ab ipſa natura ſpiritu penetrante æthereo, ⊖eque vel medio vel alcalino ſuperpondium habente, inſtructa eſt, quales ſunt aquæ acidulæ dictæ, quæ moderato vſu aluum mox expediunt, copioſiore deiectiones creberrimas, neque tamen vllo pacto violentas, mouent.

§. LXXXVIIII.

Denique mentio iniicienda eſt eorum, quæ pluribus ſimul principiis alui beneficium præſtant & promouent. Pertinent huc iam dictæ aquæ minerales: porro decocta herbarum nitroſo ſucco turgentium, vt ſunt malua, mercurialis, atriplex, beta, quæ nomine emollientium cenſentur. Braſſica rubra principium habet dulce mellaginoſum nitroſo iunctum: & inſuper ipſa lubricitate moleque videtur aluum expeditam reddere & ſeruare: quo ſenſu Galenus furfuribus vim deterſoriam aperitiuam etiam tribuit.

§. XC.

Aliquando medicamenta, quæ per ſe non erant aliqua virtute ad euacuandum prædita, in corpore demum fiunt tali efficaciæ ido-

nea. Exemplo ſit magneſia alba, quæ nihil liud eſt, quam calx quædam inſipida aut flos calcis viuæ, & tunc demum euadit euacuans, i in primis viis acidum copioſum offendat, um quo coiens in ⊖ aliquod medium ab-terſorium abire poteſt. Sic ab aliis diu ob-ſeruatum eſt, corallia ppta lap. 69rum diutius dhibitos, in talibus ſubiectis, quæ multum cidi in primis viis habuerunt, exſeruiſſe vir-utem notabilem euacuantem.

§. XCI.

Sunt quoque in officinis ab antiquo com-oſita quædam lenitiua, quorum meminiſſe oc loco decet. Antiquiſſima compoſitio eſt, uæ vocatur hiera, vel hiera picra & vel in ℞e diſpenſatur ſub nomine ſpecierum hieræ el in electuario ſub nomine confectionis. pecierum doſin antiqui a ʒj ad ʒvj: confe-tionem ab ℥j ad ℥jß, auctore Maſlaria, da-ant. Sed quod ingratum eſt medicamen-um, hodie omnino in deſuetudinem abiit.

§. XCII.

Proximæ auctoritatis ſunt pillulæ aroma-cæ, quæ & Aloephanginæ vocantur, qua-um doſin ad ʒiij extendebant.

§. XCIII.

Vtriusque medicamenti baſis eſt aloe, uam veteres inter eccoprotica præcipuo lo-

co

co habebant & a ℈j-℈ij & vlterius exhibebant, de nulla noxa a tam magna doſi ſolliciti, & fere tantum diſputantes, vtrum melius hora ante cibum an poſt cibum exhibeatur.

§. XCIIII.

Sed hodie nemo facile tam ingratum medicamentum tanta doſi dederit, præcipue quum vſu compertum ſit, poſſe eundem effectum longe minori doſi æque facile impetrari. Exemplo ſint pillulæ Beccherianæ & ad earum imitationem factæ Stahlianæ, quarum ſingulæ doſes parum vltra granum vnum aloes, & præterea nec vnicum quidem purgans continent, & tamen effectum laxantem ſatis certe exſerunt. Eiusdem ſcholæ diſcipulis frequens eſt vſus pillularum contra obſtructiones, quarum gr. iij-v. in cœna adſumta aluum ſequente mane certo expediunt. Fiunt vero ex aloes p. iij extr. panchym. cr. p. ij. limaturæ ♂ p. I.

§. XCV.

Præter aloetica veteres celebrabant certos ſyrupos, quos ſolutiuos vocabant, vt roſarum, violarum, quarum ordinaria doſis erat ℥iiij. Diluebant decocto quodam, vt borraginis, acetoſæ, ſeminum aniſi.

§. XCVI.

Porro electuaria ſua lenitiua habebant, vt diaprunon ſimplex, lenitiuum, diacaſſiæ, dia-

ſenæ

ſenæ & ſimilia plura, quæ ad ℥j ʒx præſcri-
bebant: ſed & hodie vſus illorum, vtpote ni-
mis diffuſorum, omittitur.

§. XCVII.

In genere notandum circa vſum talium eccoproticorum, quod natura facile illis adſueſcat, ſi crebro adhibeantur, quare ſine neceſſitate non debent dari medicamenta, aut clyſteres, ſuppoſitoria: potiusque circumſpiciendum eſt, num quid ſit in viuendi genere vitioſum, quod aluum tardiorem efficere poſſit, idque corrigere oportet.

Subſectio II.

DE ALVI BLANDA LAXATIONE.

§. XCVIII.

L*axationis* nomine ex hodierni ſæculi vſu deſignatur auctior quædam alui ſolutio, quæ vltra conſuetum naturæ gradum paululum extenſa non ſolum materiam in inteſtinorum canali contentam promouendo expellit, ſed etiam ordinariam humorum in canalem inteſtinalem depoſitionem & ſecretionem mediocriter auget, vt aliquot ſedes, ſine tamen violentia, eueniant.

§. XCVIIII.

Abſoluitur illa vel vnica doſi, vel pluribus

ali-

aliquandiu repetitis, & ita quidem vt vel nude laxantia præbeantur, vel alterantibus ſcopo idoneis ſimul adiunctis, quod vocant laxare per epicraſin, hoc eſt, admixtionem vel attemperationem: ſcilicet vt pedetentim ſimul euacuato, ſimul ex parte correcto vitio naturæ locus concedatur ſurrogandi nouos & ſaniores humores, absque eo vt ſimultaneæ expurgationis periculo in diſcrimen aliquod adducatur.

§. C.

Vltimo loco dicta hæc methodus Hippocratis quidem æuo non erat omnino incognita, qui hoc ſcopo potiſſimum vtebatur lacte aſinino: ſed inſequutis temporibus longe magis commendata fuit, vt ex Galeno & Celſo intelligitur, qui nobis clare nominat virum, qui ferociam in purgando veteribus vſitatam proſcripſit: ſed præcipua hæc laus eſt Arabum, per quos in genere benedicta vocata inclaruerunt, & effectum eſt, vt ab antiquitate accepta omnia ad mitiorem adhibendi modum temperarentur, vehementia autem omitterentur.

§. CI.

Et reuera vſus blandæ laxationis in plerisque morbis plurimum valet, longeque magis efficit quam, in genere æſtimando, ab alterantibus exſpectari poſſit: quare operæ pretium

ium fecerimus, ſi illam recte peruidere cona-
i fuerimus.

§. CII.

Illa, quæ effectum laxantem edunt, partici-
ant de ⊖e eiusdem indolis, quale iam in vo-
nitoriis conſiderauimus, rurſusque in pur-
antibus videbimus, verum vtrisque longe
nitiori, quod humores noſtros ſubeundo il-
os reſoluit & attenuat, motuique aptiores
eddit, vnde primus fluit effectus acceleratæ
rculationis; verum etiam alter ſtatuitur,
uod expanſiuo illo motu, quem ſanguini in-
runt, vaſorum diametros magis expandat,
odemque efficiat, vt in organis colatoriis,
ro rata quantitate, tum crebrioris appulſus,
ım vero etiam dilatatorum meatuum copi-
ior ſit prouentus ſecerni ſolitorum humo-
ım, quorum confluxus deinceps efficit il-
m fæcum, quæ eiiciuntur, copiam.

§. CIII.

Non permittit hic locus multum ſpecula-
de modo, quo ampliari vaſorum diametri
oncipere liceat: ille ſaltem, quem Io. Freind
commentario de febribus commendat, de-
uctus ex natura ſtimuli cuiusdam in partes
lidas agentis, non ſatis clarus videtur, pu-
oque ſufficere, ſi ſanguinis craſis tenuior red-
ta arteriarum micationi promtius obſequi-
r, tenuiſſimas vias celerius peruadit, & ad
(*Schulz. therap. gen.*) C cor

cor copioſius reuertitur, vnde diaſtolen ampliorem, ſyſtolen vero celeriorem fortioremque fieri conſequitur.

§. CIIII.

Materia laxantium ſunt tutiora & mitiora ex purgantium claſſe, vt rhabarbarum, polypodium, ſenna, flores recentes acaciæ, perſicorum, roſarum pallidarum, mechoacanna alba, ☿ius dulcis: tum vero pleraque ex claſſe ſuperiori lenientium his modo dictis ſcienter combinata, aut pro circumſtantiarum neceſſitate vlterius ſtimulanda paulo fortioribus ex ialappa, agarico & ſimilibus moderatiſſima quantitate adiectis. Porro quædam præparata officinalia compoſita doſi modeſtiori data, quæ quoniam pleraque in claſſe purgantium repetenda erunt, conſulto illuc reſeruantur.

§. CV.

Quum præcipuum momentum bonæ laxationis conſiſtat in eo, vt excretionum omnium organa aperiantur & humores fluxiles reddantur, facile intelligitur, quam recte prouideatur, vt vehiculum idoneum atque ſufficiens medicinæ operationi ſuccurrat. Sed cum hæc omnia ſequenti tractatione de purgantibus etiam competant, & tantum quoad maius & minus differant, merito illuc reſeruamus.

§. CV.

§. CVI.

Hic tantum admonemus de ☿io dulci, quod ius virtus laxans excitetur a ⊖ibus, ſiue in rimis viis ipſi occurrentibus, ſiue in formu- adiunctis. Cautio itaque ſit quoad pri- num, ne facile offeratur, vbi iuſta eſt ſuſpicio e humoribus acidis cum bilioſis in primis iis fermenteſcentibus, vbi facile turbas ex- itat & nimium operatur; deinde ſi miſcen- us eſt, ex tempore id fiat, & ſic vt ☿ius & ⊖ia ſeorſim ſingula bene comminuta ſuperfi- ialiter tantummodo commiſceantur, neuti- uam vero ſimul terantur, nec poſt com- nixtionem diu ſimul commorentur: quippe ot triſtibus caſibus cognitum eſt, non vanum ſſe, quod circumſpecti practici annotarunt e virulentia, quam ☿ius ex commercio ⊖ium iuturniori contrahit.

Subſectio III.

DE PVRGATIONE.

§. CVII.

Modo diximus, quantum *laxatio* & *pur- gatio* inter ſe conueniant, quantum- ue diſcrepent. Scilicet *purgatio* eſt uacuatio per canalem inteſtinalem, qua non olum contenta eius educuntur, verum ipſo-

rum humorum corporis noſtri pars non modica, vt bilis, ſuccus pancreaticus & humor, quem glandulæ vaſorumque extremitates, tunicam villoſam conſtituentes, effuderunt, ſimul elicitur & expurgatur, molimine quidem minus, quam in vomitu, vehementi, ſed raro ſine torminibus & ſpaſticis fibrarum inteſtinalium vellicationibus, quæ ſæpe ad vicinas abdominis partes excurrunt, ibique incommoda pariunt, non ſemper facile cedentia.

§. CVIII.

Vomitoriorum, laxantium, purgantium principia, quibus agunt, generice eadem ſunt, gradu tantum differre videntur & fixitate, quæ in purgantibus maior eſt, quum emetica plus volatilis principii foueant, quod ſeſe citius expedit & humores hincque tunicæ ventriculi rugoſæ plicas, & in hac neruoſas fibras ſubit, has ad motum excuſſorium irritaturum, ab illis per maſſam humorum digerendum.

§. CVIIII.

Quoad euentum vtriusque euacuationis haud exigua eſt, hæc etiam differentia, quam experientia docuit, quod purgantia a peripheria potentius & durabilius humores intro anocent, vomitoria poſt operationem peractam potiſſimam virtutem in eo exſerant,

int, vt transſpirationem in ſuperficie cor-
oris notabilem inducant; cuius phænome-
i cauſa an alia ſit præter volatilitatem ſtimu-
catharticí in emeticis ad ſanguinem cito
enetrantem, cum interim operatione vege-
ſuccedente craſſior pars vna cum ſaburra
entriculi reiiciatur, vt ad purgationem al-
nam ſtimulus deinceps deſit, non vacat in-
uirere pluribus.

§. CX.

Si vero hanc rationem admittimus, facilius
telligemus, cur purgatio transſpiraturam a-
ıs materiam diutius detineat. Nam quum
er tam longum inteſtinorum canalem dedu-
enda ſit materia ⊖e carthartico continuo ir-
tans, ſpasmodicarum ſtricturarum in ſuper-
cie non antea finis erit, quam cauſa illarum
blata ſit; niſi forte accidat, vt potiſſima eius
arte ſublata tempeſtiue dato anodyno tur-
& ſtrictura illa ſedetur atque relaxetur,
que, quod reliquum eſt, itidem ad periphe-
cas vias diuertatur. Hoc artificio pruden-
r vſus eſt Sydenhamus, &, vt alii circum-
ecte imitentur, hortatus eſt, ſane non con-
mnenda ratione, ſi quis cogitet, quid &
uam egregie proſint purgantia anodynis mo-
erate ſcienterque temperata.

§. CXI.

Præcipuus fructus totius huius obſeruatio-

 nis

nis ſeſe exſerit illis caſibus, vbi exanthemata non retropellenda corporis ſuperficiem obſident: quippe in his tantum abeſt, vt purgantia proſint, vt potius ſubinde irreparabilem noxam inferant, cum tamen certa vomitoria ipſa iam retrogreſſa exanthemata, aut tardius erumpentia omnium optime vel erumpere faciant vel erumpentia adiuuent.

§. CXII.

Purgantium materia latiſſime patet: eam vero prius quam exponere adgrediar, mentio prius facienda eſt illius veteris diuiſionis, qua ſecundum humorum diuerſitatem purgantia ad certas claſſes reuocantur, vt alia ſint cholagoga, alia phlegmagoga, aut hydragoga, rurſusque alia melanagoga, id eſt, bilem flauam, pituitam aut melancholiam electiue purgantia.

§. CXIII.

Longæ ſunt veterum inter ſe diſceptationes, quando volunt indicare rationem, quare vnum præ alio humorem hoc vel illud ſimplex magis educere valeat: ſed fere maiores recentiorum diſſenſus, quorum aliqui omne illud diſcrimen penitus auferunt, & generali, quem conceperunt, agendi modo omnibus phænomenis ſatisfacere velle videntur.

§. CXIIII.

Etſi vero haud ſuſtineam affirmare, veterum

han-

anc traditionem de electiua purgatione in
acto ſecundum omnia & ſingula ſimplicia ſic
atis certam & fundatam eſſe: nolim tamen
mnia in vniuerſum labefactare, cum certiſ-
mus ſim, dari exempli gratia phlegmagoga,
uibus ſi vtaris vbi nulla aqua expurgari de-
et, inutilem noxiamque purgationem mo-
amur: quale eſt elaterium: nec ignorem,
d bilem ſubducendam nihil melius valere,
uam rhabarbarum. Quare hanc rem accu-
atiori examini merito permittimus.

§. CXV.

Conſpectus purgantium & reſpectiue la-
antium nunc ſequatur. Sunt vero ex

. Regno minerali.

Aurum fulminans
Lapis Armenus } interdum vomere faciunt
Lazuli

Magneſia alba.
⊖*ia media.*
⊖ *Egranum, ſed licenſe, ca-*
tharticum Angl.
⊖ *polychreſtum.*
} per ſe ſatis lenia: pro vſus diuerſitate vel laxantem vel purgantem effectum edunt.

Mercurius dulcis
♁*um crudum.*

I. Regno vegetabili

a) leniora

♀*rus crudus.* ♀*riſatus* ſ. *ſolubilis.* ▽ *foliata* ♀*i eiusque liquor.*

Cremor ♀*i*
Sennæ folia

Polypodium
Linum catharticum
Caſſia
Tamarindi. Paſſulæ. Pruna.
☍ amygdalarum. oliuarum.
Centaurium minus recens. fumaria. epithym.
Flores acaciæ rec. it. roſarum pallid. violar.
Manna.
Aloe.

b) paulo efficaciora.

Rhabarbarum
Agaricum
Hermodactyli
Rad. irid. Florentin.

c) Purgantia ſtricte dicta.

Elleborus niger
Gialappa
Turbith.
Scammoneum
Mechoacanna.
Bryonia.
Ebuli radicis & Sambuci cortex median. tu-
Rhamnus catharticus. *riones &c.*
Scilla.
Frangulæ cortex.
Gratiola.
Soldanella.

d) Draſtica.

Cataputia.
Colocynthis. *Eſula.*

Eſula.
Cucumis aſininus. *Elaterium.*
Euphorbium.
Cyclaminus.
Gummi guttæ.
Iris noſtras cærulea.
Laureola ſeu *Mezereum.*
Ricinus Americanus, ſeu *Grana tilli.*
Ricinus noſtras

Compoſita & præparata.

♀ *Cornachini* ſ. *Comitis de Warwik diaceltateſſaron.*
Species diaturbith. c. rhabarbaro.
hieræ picræ.
Reſin. gialappæ.
ſcammonii.
Diagridium 🜍*ratum.*
Syr. roſar. ſolutiuus. violar. ſolutiuus.
cichorii c. rhabarb.
de manna.
fl. perſicorum. *de ſpina ceruina.*

Electuar. hier. picræ *diacatholicon.* *diaprunum* *Confectio hamech*	plerumque hodie clyſteribus, aut, vt confectio hamech epithematibus laxantibus referuantur.

Troch. alhandal
hermetici Scretæ.
Eſſ. ſcammonii
gialappæ.

Eſſ. rhabarbari, etiam anima rhabarbari dicta.
Extr. panchymagog. Crollii
catholicon.
marocoſtinum.
rhabarbari.
fl. lilior. conuall. ex recentibus c.v. factum.
aloes. aloe roſata.
diacarthamum.
pilularum cochiarum.
Pilulæ de ſuccino Cratonis
aloephanginæ
Immanuelis
Francofurtenſes
♀reæ Quercet. Schrœderi, Bontii
hydropicæ Bontii
gummoſæ ſyluii
cochiæ
contra obſtructiones Stahlii & Halenſium.
polychreſtæ Halenſium.

§. CXVI.

Ex his meliora ſeligere oportet, vt & affectui eiusque magnitudini reſpondeant, & corpus ita præparatum ſit oportet, vt operatio facilis tutaque eſſe poſſit.

§. CXVII.

Quod præparationem ſpectat, opera danda

da eſt, vt præmiſſis per aliquot dies digeſtiuis, incidentibusque primarum viarum viſcidi humores attenuentur: deinde, ſi opus videtur, plethora vrgens imminuatur ſanguinis proportionata detractione, quod præcipue obſeruandum eſt, ſi circa conſuetæ venæ ſectionis tempus purgationem inſtituere cupimus, vt differamus poſt illam factam.

§. CXVIII.

Sumto purgante, ſi iam operationem inſtare ſentimus, adiuuare eam oportet cereuiſia tenuiori calida, butyro emollita, vel infuſo aliquo idoneo, vt theæ, coffe, vel iuſculo carnium, vt, quo magis diluentia ſuccedunt, eo citius canalem inteſtinorum pertranſeat, quod ſi factum fuerit, id ſubtilius, quod humores ſubiit, eo felicius aget obſtructa aperiendo.

§. CXVIIII.

Tali methodo haud facile noxa a purgante etiam ſatis efficaci ſubſequetur, citiusque peracta operatione homo ad ſe redibit.

Caſus B. Chriſtoph. Cellarii, cui ſurditas imminens felici errore depulſa fuit.

§. CXX.

Purgationem non facile oportet inſtituere in acutis, etiam abſtinere ab illa debemus in hypochondriacis, nec non illis, quibus aliqua exanthemata in cute, aut abſceſſus vel

præ-

præcurſor ſuppurationum intumeſcentia glandularum, v.g. bubones ♀ei adſunt: in genere etiam ſicciores, debiliores, emaciati merito excluduntur a purgatione vehementiori, quippe humores vtiles hac nimium detrahuntur, generique neruoſo ſpasmodica diſpoſitio altius inſinuatur.

§. CXXI.

Talibus plus conducunt humectantia, per epicraſin purgantia, ita tamen attemperanda, ne diuturniori vſu nimis multum detrahant.

§. CXXII.

Talia ſunt infuſa, vulgo hæmatocathartica dicta, quæ vel cum vino vel vini & aquæ ana, vel cum ſero lactis parantur; circa quæ notandum eſt, ea, quo diutius ſteterint & digeſta fuerint, eo fieri ſaturatiora, ita vt poſtremæ doſes ſæpe plus nimis operentur.

§. CXXIII.

Incommodo huic obuiam itur, ſi ſubinde nouus liquor pro dilutione affunditur. Aut ſaturatum iam ſatis infuſum effunditur & ſeorſim aſſeruatur pro vſu.

§. CXXIIII.

Inprimis caute hic mercandum eſt in addendis fibris ellebori nigri: quippe teneriores ab vſu talium, præſertim continuato, ſiccitatem alui incredibilem & longo tempore vix emendandam incurrunt, aut ſpasmodicam

cam cardialgiam, aut hæmorrhoidum cæca-
rum incommoda experiuntur.

§. CXXV.

Memini virginis XXIII. annorum, quæ ſin-
gula hæc, cum notabili phænomeno ſiccita-
tis narium moleſtiſſimæ, & earundem didu-
ctione experiebatur: accedebat poſt diu diſ-
ſimulatam obſtructionem paſſio iliaca: qua
expugnata quidem febris accedebat, & poſt
non multos dies illam aufferebat.

§. CXXVI.

Alius viri cachectici & omnimoda fere ap-
petitus proſtratione laborantis bene memini,
cui medicus quidam de infuſo cathartico vi-
noſo promittebat fore, vt poſt vſum ipſius ab-
ſolutum valde vorax euaderet: ſed non ab-
ſoluit vſum morte interueniente ipſumque
cardialgia ſpasmodica aufferente, quum me-
dicus paucis horis ante obitum omnia magni-
ficentiſſima pollicitus fuiſſet.

§. CXXVII.

Porro videndum eſt, quibusnam purga-
tiones conueniant. Ex his primo ſunt hy-
dropici, quos aut plane non, aut ſufficienter
purgare oportet: ſed non promiſcue quouis
purgante, verum genuinis hydragogis, quæ
ſi offerantur plerumque ſine moleſtia aquas
copioſe eliciunt. Sed hydragogorum vſui
aperientia bona præmittere & interponere
opus

opus eſt: peractaque aquarum eductione non omittenda ſunt, quæ viſcera confirment.

§. CXXVIII.

Indicatur etiam a maſſæ ſanguineæ mucidis ſeroſis impuritatibus pectus obſidentibus; tuſſimque diuturnam ferocioremque humidam inducentibus: non tam ſcopo illius euacuandi, quam deriuandi & ſimul attenuandi ac diſſipandi: quare bonum eſt, poſt peractam potiſſimam operationem, anodino quodam eandem interpellare, vt reliquæ vires ad periphericam euacuationem conuertantur.

§. CXXVIIII.

Neque minus locum inueniunt, vbi primæ viæ tenaci muco obſeſſæ ſunt, vt pleraque aſſumta per aluum liquida redeant, vt in lienteria & fluxu cœliaco: cuius potiſſima cauſa eſt, quod ſuperficies inteſtinorum obſidetur, tenaci muco ingreſſum chyli in vaſa lactea impediente: ad quem tollendum nihil efficacius eſt particulis illis medicinæ purgantis, quæ per vias adhuc patulas in ſanguinem ingreſſæ, maſſam eius expandendo ſimulque canales dilatando ampliandoque ſecretionem per vaſorum extremitates confertiorem faciunt, eodemque ipſo mucum extrema vaſorum obſidentem & obſtruentem protrudunt locoque trudunt.

§. CXXX.

Neque contemnendus eſt ipſorum fructus n exturbanda verminoſa colluuie: vt nobis caſus noti ſunt, vbi purgantibus tandem ranæ, bufones & alia huius generis turpia animalia tandem penitus e corpore fuerunt eliminata, poſtquam per ſatis multos annos tragœdias ſuas luſerant.

§. CXXXI.

Porro in congeſtionibus & decubitibus humorum circa ſuperiores partes, cum oculorum hebetatione, continua lacrimatione, aurium ſuſurro & humiditate, auditus obtuiori ſenſu non raro inſigne faciunt operæ pretium.

§. CXXXII.

Denique vbicunque ſæpius repetitæ laxationes leniores, operæ pretium non facere ab experientia edocemur.

§. CXXXIII.

De purgantium correctione multi multa præceperunt, in qua doctrina multa vana ſunt, & neſcio, quam ſuperſtitionem redolentia. Sed præ ceteris forte nemo magis intempeſtiue officioſus hic fuit inter Chemicos recentiores Quercetano, qui caſtrationes multas medicinarum, paucas correctiones veras docet.

§. CXXXIIII.

Interim negandum non eſt, aliqua purgantia

tia æque ac laxantia indigere aliqua corre-ctione, qua vel nauſeoſitas, vel tarditas, vel viſcoſitas, ad inhæreſcendum prona & apta, emendetur.

§. CXXXV.

Et primo quidem omnia reſinoſa, vt reſina gialappæ, ſcammonium, reſina turpethi, dum a parte ſua terreſtri liberatæ calidis inteſtinis facile hinc inde adhærent, torminum & hypercatharſeos auctores facile euadunt.

§. CXXXVI.

Huic non ficto vitio ſuccurritur vel eo, vt gialappam & turpethum vegetabile potius cum terrea parte ſua exhibeamus, quam hac ſequeſtrata, præcipue quum adeo magna moles non ſit, nec nauſeam, quippe inſipida pariant: vel ſi omnino natura nobis non ſatis ſapiens fuiſſe videtur, artemque volumus illi dominari, reſinam iubeamus cum pinea vel amygdalæ fruſtulo teri, vt oleoſa pineæ portio reſinæ adhærens aptam illam reddat, quæ in ventriculo, accedente humiditate, facilius in emulſionem cedat chylique vaſa, & per hæc ſanguinem ſubeat: aut præſcribamus ſtatim aliquam ▽m cum qua, interprete pinea aut amygdala, in emulſionem abeat.

§. CXXXVII.

Hoc pacto non ſolum gratum medicamentum comparamus, ſed & operationem promte

per-

ragens. Vnica cautio ſit, vt reſinarum e-
smodi doſin minimam præſcribamus. Vi-
mus enim in homine iuuene & robuſto ſex
ana reſinæ gialappæ in emulſionem redacta
nium purgaſſe: quum in pillulari forma
tea hæc ipſa doſis vix aluum notabiliter ſol-
citaſſet. Videtur in emulſionem redactarum
ſinarum, & in ſpiritu ſolutarum, par eſſe
tio.

§. CXXXVIII.

Eſt & alia ratio hoc incommodum auer-
ndi, ſi nempe in pilulari forma dandæ reſi-
e miſcentur ſuccis herbarum inſpiſſatis, vt-
ote aquoſis, quo ipſo reſinoſæ disiungun-
r particulæ, & præcauetur, ne vni loco con-
rtim adhæreant.

§. CXXXVIIII.

Longe tutior eſt, hæc ratio quam illa, qua
les reſinæ, v. g. ſcammonium, ♀is fumo
terpoſito quaſi inuoluuntur: nam, vt o-
nino reprobare aut abſurditatis arguere hanc
tionem nolim, neque tamen negandum eſt,
on poſſe fieri, vt omnes particulæ æque ob-
elentur ſulphureis particulis adeoque re-
anere vel plane vel maximam partem libe-
s; vnde operatio incerta ſubſequatur ne-
eſſe eſt.

§. CXL.

Alia ob nimiam acrimoniam quaſi capi-
randa ſunt, ne erodant, cuius generis eſt
(*Schulz. therap. gen.*) D Colo-

Colocynthis, quæ tragacanthino gummi bi-nas ob cauſſas, cortice & ſeminibus prius ab-iectis, imbuitur & exſiccatur, vt in ♀em comminui poſſit, & vt mucilaginoſitas hæc vires nimium ferocientes compeſcat, quo pacto fiunt trochiſci alhandal, optimum re-medium, quod pro ſtimulo aliis mitioribus, vt ☿io dulci & ſimilibus addatur, ſolum au-tem per ſe non facile a quoquam præſcribi-tur.

§. CXLI.

Aliis, quæ ob acrimoniam ſimiliter ſuſpe-cta ſunt, hoc exemplo licebit mucaginoſa ad-dere, vt mucilaginem ſeminis pſyllii, gummi ceraſorum, bdellium: quibus iungi poterunt maſtiche, & aliquantulum carminatiua. Alium vegetabilia corrigendi modum inuenit Star-ckey, nobilis Anglus chemicus, qui ⊖e alca-li acerrimo & ℅ ſubtiliſſimo terebinthinæ in vnam maſſam ſaponiformem coniunctis pa-rat correctorem vegetabilium: qui vero vi-detur omnem purgantium vim abſorbere & deſtruere, alii methodo non multum diſſimi-li talibus acribus, v. g. Euphorbio, affundunt ℞m. ℥ij acrem vel metallorum: ſicque im-petrant eſſentiam non quidem amplius pur-gantem, ſed egregie eperitiuam, morbisque chronicis mire proficuam.

§. CXLII.

Quæ nimis ſegnia ſunt, exſtimulantur acri-bus

s, e. g. agaricus zingibere, hermodactyli
ylla vel raphano, ſenna iterum zingibere vel
ryophyllo, epithymum ſale gemmæ.

§. CXLIII.

Rhabarbarum quo magis recens eſt, quo-
um in copia ſumi debet, hinc nauſeam mo-
t & particulis ſuis volatilibus ad vomitum
ile diſponit: ſed corrigitur hoc vitium
itillo aniſi vel cinnamomi, vel in ſubſtan-
additis, vel ſi vnica olei eorum guttula
haro inſtillata in ore colliqueſcat & de-
tiatur.

§. CXLIIII.

Plura de correctione non addo. Circa
npus purgationis exhibendæ notamus,
od vbicunque integrum nobis eſt tempus
gere, præſtet auctumnali & vernali tempo-
inſtituere purgationes, præſertim ſucceſ-
e, &, vt loqui ſolemus, per epicraſin per-
endas. Sed in vrgentiori caſu neceſſitas
evalet legibus omnibus. Iubent etiam, ſi
i poteſt, luna potius decreſcente quam
ſcente ad purgationem venire.

§. CXLV.

Veteribus magna fuit cautio diebus cani-
aribus non exhibere purgans: ſed no-
um clima non adeo magnopere contrain-
at, modo non ſit tempus æſtuoſiſſimum &
mo eminenter plethoricus.

§. CXLVI.

Antiqua eſt conſuetudo, ſemel vel bis p[illegible] annum præſeruandi a morbis gratia purga[illegible] præmiſſa prius VSne, quod Arabes præ[illegible] pue valde amarunt facere. Non eſt dub[illegible] um, neceſſitatem fieri, cui nos diuturna co[illegible] ſuetudine mancipauimus: quare deliberat[illegible] ne opus eſt, antequam nos ipſos, vel quem[illegible] quam noſtro conſilio, legibus ſancte tene[illegible] dis obligemus. Interim vix dubito, in[illegible] multos, qui hoc faciunt, pauciſſimos eſ[illegible] quos debeat facti pœnitere, modo medi[illegible] mentis temperatis, recteque ad conſtitut[illegible] nem indiuidualem ſelectis & accommoda[illegible] vtantur.

§. CXLVII.

Tempus aſſumendi purgantis eſt matu[illegible] num, vt viribus per ſomnum bene recrea[illegible] & ventriculo vacuo, operationem melior[illegible] facilioremque edat.

§. CXLVIII.

Neque ſtatim a ſumto purgante cibus [illegible] pioſus aut craſſus ingerendus eſt. Iuſcul[illegible] bene fluidum ſumere, aut calidam ſuper[illegible] bere, nihil vetat. Si iam aliquod notab[illegible] ſine effectu tempus effluxit, ſæpe operat[illegible] nem excitat cibus ordinaria hora adſumt[illegible]

§. CXLVIIII.

De reliquo regimen conuenit cum ill[illegible] quod ſumto vomitorio obſeruandum [illegible] Eadem quoque faciamus in hypercatha[illegible]

q[illegible]

æ in hyperemeſi indicauimus, facienda
e.

§. CL.

Verbulum adiiciendum reſtat de iis, quæ
um purgant, quum tamen per os non de-
nderint ad ventriculum. Talia ſunt, quæ
bilico illinuntur, aut abdomini imponun-
, aut plantis pedum admouentur. Prio-
generis eſt ꝏ ricini & granorum tilli, de
ibus in materia medica diximus, quorum
c vehementiſſimum, illud ſatis blandum
: vtrumque tamen agere videtur acrimo-
m ſuam ſtimulantem ſanguini inſinuando.

§. CLI.

Abdomini imponuntur vel lenientia, quæ
smos tollendo officium alui excitant, vt
iæ pinguedines, præſertim cæti illa pene-
ntiſſima: vel in ſanguinem penetrantia, vt
guentum de cyclamino ſeu arthanita, quod
n male iungimus ꝏ laurino expreſſo in
caſu, vbi flatulentiæ nimiæ operationem
nedii remorantur, quod vſu venit in tym-
nite.

§. CLII.

Plantis pedum alligata confectio Hamech
m æquali portione vnguenti populei ſæpe
um reſerauit, vbi nihil vel fortiſſimis ef-
i potuit. Agit & hoc ſanguini particulas
asdam inſinuando, forte etiam ſolidas par-
ſtimulando. Sæpe enim obſeruatum eſt,
osdam diarrhoeas grauiſſimas incurriſſe,

qui corpore probe calente plantas pauimen-
to frigido lapide ſtrato, aut aquæ frigidæ im-
miſerunt.

§. CLIII.

Sed ad talia, quoniam effectum incertum
edunt, non eſt facile veniendum, nec niſi il-
lo caſu, vbi aluus non cunctanter reſolui de-
bet, iamque tentata remedia ſegnius tardiuſ-
que operantur.

§. CLIIII.

In genere de purgantibus iterum, pro con-
cluſione capitis huius moneo, non oportere
vehementibus vti, vbi leniora ſufficere poſſe
videntur: ſed nec adeo reformidari etiam
fortiora debere, ſi affectus magnitudo talia ex-
poſcat. Nulla enim alia res empiricis plu-
res triumphos in morbis deſperatiſſimis pe-
perit tandem curandis, quam quod temerita-
tem in purgantibus dandis, quaſi vnicum ar-
tis ſuæ habent præſidium.

SECTIO III.

DE EVACVATIONE PER SVPERFI-CIEM CORPORIS.

§. CLV.

Quemadmodum in ſtatu maxime ſano
continuus ſucceſſus inſenſibilis tran-
ſpirationis magnum ſubſidium bonæ

valetu-

aletudinis conſeruandæ merito cenſetur: ſic
identur homines ab ipſa natura edocti eſſe,
anc ſupra naturæ terminum intendi poſſe,
cque euadere non raro morborum remedi-
m inſigne.

§. CLVI.

Scilicet labor, celerior motus, aeris conſti-
utio calida & humida, ipſorum morborum
hænomena, hominibus commendare hanc
uacuationem debuerunt, vt medici eam
pectare tandem debuerint, & ad artis reuo-
are regulas.

§. CLVII.

Iam Hippocratis æuo quæſitam fuiſſe hu-
us euacuationis promotionem aut ſaltem ex-
citationem, ex ſcriptis perſuademur: quip-
pe calidam multam bibere & corpus ſtragu-
lis operire docuit: ſed artificialior ſudoris
per medicamenta promotio, aut accurata co-
gnitio, quantum ipſa inſenſibilis valeat trans-
ſpiratio apud veteres, non ſatis clare depre-
henditur.

§. CLVIII.

Nos hodie duobus diſtinctis terminis
diapnoes & *diaphoreſeos* vtimur, quorum pri-
or deſignat naturalis transſpirationis ſucceſ-
ſum arte adiutum & diætæ beneficio conſer-
uandum, aut leuiter ſupra naturalem gradum
eue-

euehendum: poſterior euacuationem ſenſi-
bilem ſudoris per poros cutis.

§. CLVIIII.

Hæc euacuatio non ſolum nimiis humo-
ribus abſumendis apta eſt, verum etiam ſen-
ſim euacuandis craſi ſua corruptis & peccan-
tibus, præcipue halituoſis ⊖ino 🜍eis: quin
& incauta intentione & continuatione ad hu-
mores nimis abſumendos vertitur.

§. CLX.

Sponte fluit ex dictis, vtriusque huius eua-
cuationis gradus rationem habendam eſſe, vt
inueniamus, quo pacto poſſit excitari, quo
loco maxime conueniat, quo gradu intendi
debeat, quo pacto lædere poſſit.

§. CLXI.

Copia ſanguinis laudabilis, viæ apertæ, per
quas æquabiliter circulari poſſit, in ſtatu na-
turali maxime efficiunt transſpirationem in-
ſenſibilem: nihil magis impedit humorum
defectu, ſpiſſitudine, vappeſcentia, viarum
per frigus, maxime humidum, conſtrictio-
ne & anguſtatione, motus corporis volun-
tarii defectu, animi affectibus, & aliarum ex-
cretionum nimio ſucceſſu.

§. CLXII.

Hæc primo remouiſſe, ſponte facit na-
turam ad tramitem iuſtum redire: atque

omnino

mnino opus eſt, huic methodo prius ſtude-
e, quam ad artificialia transſiliamus.

§. CLXIII.

Quin methodo hac diligenter obſeruata, ccedente bonorum reſoluentium perito & ontinuato vſu plus licet conſequi, quam foriſſima ſudatione, immo dicere auſim, in pleisque morbis vnice ſalutarem effectum ab ac eſſe exſpectandum.

§. CLXIIII.

Dixi, reſoluentia proba, regimine diapnoico adiuta tantum valere: per regimen nihil liud intelligo, quam rerum non naturalium rudentem diſpoſitionem, vt corpus aſſumis eupeptis bene nutriatur, fluido autem ſufficienti diligenter humectetur, vt aqua bona, cereuiſia defæcata tenui, infuſis calidis ex ſpeciebus aperitiuo quodam ⊖e præditis, adiectis pauculis ex claſſe blandiorum aromatum, decocto auenæ crudæ, quod ante paucos annos celebrari cœpit, ſed quod nimium a præconibus ſuis laudatum forte fuit, videtur nimis cito fuiſſe neglectum.

§. CLXV.

His porro accedat moderamen circa aerem admittendum, ita vt frigoris poſitiui acceſſum & ſenſum euitemus, pariterque caloris poſitiui gradum non attingamus.

§. CLXVI.

His omnibus rite conſtitutis, ſi efficacius celeriusque curare hac methodo cupimus, ex melioribus reſoluentibus quæri medicina præſentis morbi indoli conueniens & adæquata debet, huiusque continuato vſu non obſcurum erit quantum proficiamus.

§. CLXVII.

In hoc genere palmam omnibus præripiunt medicinæ ☿iales & ♁iales, diligenter exquirendæ, & a draſticis earundem claſſium remediis ſequeſtrandæ.

§. CLXVIII.

Vix credo, benigniora & efficacia tamen dari ſequentibus, in omni fere morbo chronico quaſi catholicis, ℞a ♁ij acri, 🜍re ☉ato ♁ij poſteriorum ⊽tationum, aut ſi hoc deſit, etiam prioris, ſed exigua doſi offerendo; regulo ♁ij medicinali: ☿io dulci, aethiope minerali, cinnabari, ♁io diaphoretico, præſertim non nimis edulcorato, quorum prudens vſus debite inſtitutus & continuatus operæ pretium præ reliquis omnibus facient.

§. CLXVIIII.

Ex reliquorum claſſe remediorum, vt verum fatear, nihil æque efficax, ad curationem tam blande & inſenſibiliter procedentem diuque continuandam idoneum proſtat, niſi forte ex noſtratibus virtute emetico-carthar-

thartica præditis, vt iride cœrulea, aſaro, cucumere ſylueſtri, herba nicotiana, bryonia, ſed perite mitigatis & temperatis, talia inuenire liceat, de quo equidem non deſpero, ſed nec tum in tam facili copia ſuperius laudatorum ipſemet experiri volui.

§. CLXX.

Dicendum nunc eſſet, quo pacto modo laudata agant: ſed cum pateat iam ex ſuperioribus, hanc methodum compoſitam eſſe ex duplici artificio, vt nimirum reſoluentia ac diluentia intus dentur, exterius vero poris aperiendis ſicque patulis porro conſeruandis opera detur: poſterius nulla ad intelligendum difficultate laborat: prius explicabimus illo capite, quod de reſoluentibus ſeorſim agit.

§. CLXXI.

Nunc progredimur ad alterum, nimirum diaphoreſin, id eſt, ſudoris prolectionem. Huius ſpontanea in quibusdam morbis eruptio critica, nec non quæ certis temporibus poſt quietem, vel ſub quiete nocturna corpore bene tecto ſolet erumpere, aut poſt laborem ſub calore, præcipue humido, huc non pertinent: ſed ea prolectio, quæ medicamentis & regimine perficitur.

§. CLXXII.

Differentia a diapnoe facile quidem patet ex

ex eo, quod de illa diximus: ſed addere liceat eas, quæ ab effectu obſeruantur: quippe diapnoe absque virium reſolutione diutius toleratur, quum ſudatio ſæpe vnica ad lipothymiam ducat, ſaltem nemo ſine virium ſenſibili iactura plures horas ſudare valeat: diapnoe absque ſanguinis vehementi commotione peragitur; diaphoreſis illam maxime habet, & vt eueniat, non ſolum interna, verum etiam externa præſidia adhibet.

§. CLXXIII.

Porro diaphoreſis humiditates ſubtiliores corporis cito exhaurit, & craſſiores humores relinquit: quum regimen diapnoicum ſub expoſitis conditionibus ſatis etiam diu continuatum adeo hoc non faciat, vt plures vel integro menſe eo vſos nullo pacto debiliores, macrioresue reddiderit, prorſus vt nihil in corpore mutauerit, niſi quod ſe homo a morbo liberatum vidit.

§. CLXXIIII.

Nec leuis eſt differentia ratione ſubiectorum alterutri idoneorum. Diapnoe ſcilicet omnibus ſubiectis & temperamentis ex æquo conuenit, diaphoreſis præter ſanguineo-phlegmaticos, ſeroſis humiditatibus abundantes, vix aliis conuenit: tentari ſaltem non debet in cholericis, aut cholerico-melancho-

lancho-

lancholicis, quippe qui ſanguinis tantas commotiones non ferunt, nec humiditatis tanta copia abundant, vt tenuiorum humorum copiam ſibi ſubtrahi absque valetudinis detrimento pati poſſent.

§. CLXXV.

Porro ſudatio etiam plethoram moderatam de præſenti poſtulat, vt bene tolerari poſſit: nam nimia commotiones ſine periculo non admittit: & in ſanguinis notabili defectu ac iactura omnino locum nullum habet.

§. CLXXVI.

Indicatur illa per ſudorem euacuatio ab humorum ſeroſorum ſuperpondio & abundantia, quo ſanguis ſuam craſin legitimam nanciſcatur: accidentaliter permittitur, ſi tali ſtatu in ſanguine etiam obſeruetur dyscraſia ſalino 🜍eà, aut lymphaticorum humorum, ab denteſcentia eorum ac ſtaſi, collectio, quæ in hydrope anaſarca, quin & eius initio leucophlegmatia ſpectatur: porro in ſcabioſis & vlceroſis affectibus, & certis ſub conditionibus in lue ♀ea.

§. CXXVII.

Non minus etiam decubitus humorum rheumatici ad aliquam partem, cum dolore & eius incommodo motu, vnde arthriticum quid

quid metuimus, hoc præſidium admittunt, quamuis certas cautiones, ſuo loco exponendas, habeat.

§. CLXXVIII.

In febrium intermittentium decurſu certa tempora ſunt, in quibus diaphoreſin inuitare cunctantem oportet, ſponte ſubſequenti autem indulgere eamque promouere.

§. CLXXVIIII.

Agunt autem ſudorifera medicamenta non vno modo. Ex iis, quæ de diaphoreſi vomitum bene peractum ſubſequente, eiusque ratione, diximus, iam patet, quod ea, quæ principio ⊖ino volatili ſanguinem expandente, fibras autem ſolidas ſtimulante, conſtant, quando humores ingreſſa ſunt, primum eos attenuent & motum eorum inteſtinum augeant, tum vero localem excitent, ex quo omnium ſe- & excretionum augmentum conſequitur: ergo id, quod in vomitoriis, ex parte vero etiam in ſtricte dictis purgantibus, magna copia datum catharſin excitat: id mediocri exhibitum, aut coctione, exhalatione, exſiccatione mitigatum, euadit diaphoreticum. Atque hæc primam & potiſſimam claſſem conſtituunt.

§. CLXXX.

Poſt hæc ſunt diluentia, accedente calore,

motu,

ıotu, veſtium ſtragulorumque tegmine, ıb quo humiditas ſubſiſtens poros magis re- ludit. Idemque reſinoſa ſulphurea, quæ ınguinis calorem motumque pariter augent.

§. CLXXXI.

Atque hæc duo genera poſitiue ſunt dia- ıhoretica. Præter hæc dantur alia priuatiue gentia, id eſt, cauſam, quæ diaphoreſin im- ıedit, tollentia: e. g. abſorbentia, dum ſe- ·um nimis acre & agile contemperant, faciunt, ·t particulæ ſeroſæ per colatorium cutaneum ıcilius erumpant, quum antea acrimonia ea- ·um vellicans canaliculos potius occluſiſſet, quam recluſiſſet.

§. CLXXXII.

Eiusdem cenſus ſunt anodyna externe in- ·erneque tempeſtiue adhibita, quæ demul- ·endo ſpaſticos rigores fibras laxiores humo- ·umque tranſitui patentes efficiunt: quare ·idemus in grauiſſimis doloribus & anxio fe- ·rium paroxyſmo ſudorem prius non prodi- re, quam ſpaſmus febrilis vniuerſalis remitta- tur. Faciunt hoc certo experimento inun- ctiones ſpinæ dorſi ſub initium paroxyſmo- rum factæ, quæ notabiliter breuiores red- dunt acceſſiones, continuatoque vſu multum iuuant.

§. CLXXXIII.

Huic fundamento innixi veteres & recen- tiores

tiores opium & opiata addiderunt alexipharmacis ſuis compoſitionibus, quin ſolenniter opium adſcripſerunt diaphoreticis. Saltem tunc dicere & credere poſſumus, opiata innoxie eſſe exhibita, quando ſudor ſubſequitur.

§. CLXXXIIII.

Commendari hinc poterit methodus opiata & emetico-cathartica combinandi, debitaque facta correctione exhibendi in quouis dolorum ſpaſmorum, decubituum genere: ſic enim tutiſſimum edunt & optatiſſimum effectum diapnoicum vel diaphoreticum.

§. CLXXXV.

Materia diaphoreticorum ex triplici regno deſumitur: aliquando autem ſolo regimine obtinetur.

§. CLXXXVI.

Ex his formulæ concinnandæ ſunt conditioni ægroti reſpondentes, neque difficile fuerit, pro cuiusuis conditione apte componere ex diuerſis claſſibus remedium ſcopo idoneum, e. g. coniungendo abſorbentia & temperantia, cum anodyno in ſpaſticis dolorificis affectibus, aut ſi formula liquida deſideretur, aquas deſtillatas præſcribere, eiusmodi pulueribus pro vehiculo futuras; quod quidem regulæ de formulis conſcribendis ſuo loco declarabunt.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Nunc quædam addenda ſunt, quæ ſpectant
l tempus remedium diaphoreticum vtiliter
andi. In genere notandum eſt, nunquam
leno ventriculo ingerendum eſſe diaphore-
cum, quia adhuc inelaborati crudioresque
ıcci ex cibis nondum concoctis violenter
nguini permiſcentur, ſicque variis incom-
odis, præſertim obſtructionibus glandula-
ım certam viam pandunt. Conuenientiſ-
num itaque erit tempus matutinum, quod
igere ipſa natura nos docet, quippe ſatis
otabilis eſt in quouis ſano homine ſudoris
ːpulſio matutina, aut ſaltem transſpiratio-
s intenſio.

§. CLXXXVIII.

Quamdiu ſudori indulgere deceat, non eſt
ıica & vniuerſalis regula. Pro affectus ma-
ıitudine & ſubiecti tolerantia definiendum
t. Ordinarie ſufficit, ſi corpori bene cale-
enti & probe ſudanti deinceps ſtragulorum
iectorum pondus & copia, ſi nimia ſit, de-
ahatur in tantum, vt ne actuale frigus per-
ntiſcamus, quippe quo fieret, vt progreſſus
doris impediretur, hoc vnico euitato cor-
ıs modice tectum ad ſudorem per plures
iam horas tolerandum non facile deficiet.

§. CLXXXVIIII.

Porro ſi nihil vrget & ſudatio præſeruandi
(*Schulz. therap. gen.*) E tan-

tantum ſine inſtituitur, optimum eſt eligere tempus vel vernale vel auctumnale.

§. CXC.

Sed longe aliter ſeſe res habet in febribus, vbi nulla alia temporis obſeruatio eſt, quam vt ſudorem iuuare vel inuitare conemur, quando ipſa natura ſeſe ad hanc euacuationem accingit. Id vero eſt in intermittentibus illud momentum temporis, quando calores iam ſeſe remittunt & paroxyſmi finis inſtat. Quum vero vna febris præ alia ad ſudores magis prona obſeruetur: neceſſarium erit ſpecialia de eo præcepta, quorum obſeruatio admodum magni ponderis & vſus eſt, in therapia ſpeciali accurate attendere.

§. CXCI.

Similiter gradum diaphoreſeos, vtrum promoueri debeat leniſſimis an fortiſſimis, quantum etiam & quomodo adiuuari per media externa adminicula poſſit & debeat, pendet a morbi & ſubiectorum differentia.

§. CXCII.

Sunt autem illa adminicula externa potiſſimum ſequentia. Balneum ſudatorium, & fotus: alterum vniuerſi corporis humoribus commotis ſudorem excitat, alterum particulare eſt, & principaliter afficit partem illam cui admouentur.

§. CXCIII.

§. CXCIII.

Balnei ſudatorii rationes non eædem vbi-
ue ſunt, ſed potiſſimum redeunt ad duas
aſſes, vt aliqua ſolo calore ſicco agant, quæ
ocantur Laconica: alia calorem humidum
abeant, vel ſimplici exhalatione calida hu-
ida ad corpus admiſſa, vel viribus certo-
ım remediorum alterata.

§. CXCIIII.

Laconica ſicca, ſi in conclaui quolibet pro
u ægroti conſtruenda fuerint, opus eſt cu-
ı ſatis capaci, cuius fundo imponuntur
imo lateres frigidi, his porro igniti, in me-
o ſella ſtatuitur, aut aſſer firmatur, cui æger
ſideat, apto conopeo contegendus. Sed
ec methodus ob multa incommoda raro ad-
betur. Videantur de ea Ambr. Paræus lib.
XV. cap. 43. aliique.

§. CXCV.

Multo conuenientius eſt vaporoſum bal-
um, vbi iterum cupæ, vt modo dictum eſt,
mparatæ inſidet æger, cuius fundo lapides
niti imponuntur, decocto quodam herba-
m conſpergendi & exſtinguendi, vt mul-
s vapor hinc exſurgens ægri vndiquaque
ntecti corpus ambiat, ſimulque calore hu-
ores commoueat, & humiditate poros re-
luat.

§. CXCVI.

Alii ſpecies conuenientes in lebete magn[illegible] probe contecto, ex quo canales in cupam[illegible] cui æger inſidet, directi ſunt, ſuppoſito ign[illegible] continuo coquunt, vt vapores ægrum vnd[illegible] quaque bene contectum, ambiant: quod le[illegible] ui artificio ita etiam dirigi poteſt, vt æger le[illegible] cto incumbens maiori commoditate, nec m[illegible] nori fructu, ad ſudorem deducatur. Caut[illegible] ſit, ne lebeti feruenti apponantur carbone[illegible] quorum exhalationes in magnum diſcrime[illegible] adducere ipſum poſſent.

§. CXCVII.

Hæc methodus vix locum habet, niſi i[illegible] anaſarca, ad transſpirationem prorſus coh[illegible] bitam reuocandam & in ordinem rediger[illegible] dam: quo facto ab ea deſiſti poterit. Dei[illegible] de etiam in lue ♀ea ad vlcerationes progre[illegible] ſa in hominibus humidioribus: vbi vt diut[illegible] us alternis diebus, vel longiori mora interp[illegible] ſita continuari repetique debet, ita decoct[illegible] rum vel infuſorum ſufficientem vſum omn[illegible] no requirit.

§. CXCVIII.

Particularis methodus intendit efficace[illegible] humorum in certa quadam parte commot[illegible] onem & diſſipationem, diaphoreſeosque pr[illegible] motionem; quæ quidem plerumque i[illegible]

orpore toto ſubſequitur per accidens.

§. CXCVIIII.

Hæc fit admouendo, parti affectæ vapores alidos, vel ſimpliciter humidos vel diſcuti-ndi viribus pollentes: aliquando ſufficit po-tiue calida apponere.

§. CC.

Sic in œdematibus aliquando pedes œde-natoſos admouemus tabulæ ex quercus li-no bene calenti: alias vaſi ligneo indimus, ique ſubditum lapidem ignitum inſpergi-nus decoctum aliquod ex herbis cephalicis iſcutientibus cum aqua & vino factum: alio empore, quod fere tutiſſimum eſt, magnas eſicas bubulas decoctis conuenientiſſimis re-letas admouemus, & ſatis diu relinquimus, ut ſpongias calido quodam decocto imbu-is, tumque expreſſas, identidem admo-emus.

§. CCI.

Fieri hoc potiſſimum debet in congeſtio-ibus humorum, eorumque decubitu, ſiue eleriter facto, vt in ſanguineis, quæ vulne-ibus, contuſionibus, fracturis accidunt: ſiue n lymphaticis chronicis, vt tumoribus œde-natoſis: quo vltimo caſu notandum eſt, vt aute mercemur cum repellentibus 🜔eis, vt olutione ſcoriarum ♉ ℥ij, ſolutione hepa-is ♀is, quæ potenter repellunt: mitius agit

 lixi-

lixiuium calcis viuæ, quod magis reſoluendo effectum edit: idem hoc lixiuium calcis viuæ cum decocto vinoſo, quin & ⌒ vini, in congeſtionibus etiam ſanguineis magni eſt vſus, cohibendo affluxum, diſſipando ſtaſin incipientem & denique diaphoreticum effectum ciendo.

§. CCII.

Veteres nec non aliqui recentiores, eiusmodi topicorum vſum in quauis inflammatoria ſtaſi incipiente magni faciunt: etiam ſi ſit in partibus interioribus: vt in nephritide, pleuritide & ſimilibus: eodemque redeunt ab ipſis inſtitutæ primo inunctiones partis, deinde frictiones, tum impoſita cataplaſmata, identidem repetenda & renouanda, quæ & in hodierna praxi optima ſemper deprehenduntur.

§. CCIII.

Remotius huc pertinent illæ inunctiones antiſpasmodicæ & anodinæ ex oleis carminatiuis, quæ ingruente paroxysmo febrium intermittentium in dorſo, ſecundum ſpinæ longitudinem, fiunt, de quibus ſuperius iam eſt dictum.

§. CCIIII.

Referre huc liceat, quod meis oculis vidi & miror. Erat lamella metallica, vt videbatur ex ſtanno facta, quam poſſeſſor eius, ſi recte memini, ex Ruſſia attulerat, quam ſi quis

ad

d flexuram genu poſteriorem nudæ cuti al-
gatam gerebat, momento quaſi exſurgebat
udor ſatis copioſus, ſine moleſtia: remota
umina mox ſeſe remittebat & ceſſabat. In-
uiſiui in metalli qualitatem, verum quid eſ-
et non potui reſcire: erat flexilis inſtar ſtan-
i & ſatis albebat. Dignam rem inquiſitio-
e vlteriori exiſtimo. Poſſeſſor, vir non va-
us, bona fide aſſerebat, ex metalli natura id
ieri, ſe ante vſum nulla re inungere, & abs-
que virium iactura per multos iam annos æ-
que potens permanere. Nulli characteres
rant inſcripti vel impreſſi, figura oualis
rat & partis, cui alligari debet, figuræ ac-
commodata.

SECTIO IIII.

DE
EVACVATIONE PER VIAS VRI-
NARIAS.

§. CCV.

E*uacuatio per vias vrinarias* Græco termi-
no technico vocatur *diureſis* & remedia
illam vel ceſſantem tardantemque inui-
tantia & ſtimulantia, vel præſentem inten-
dentia & augentia, dicuntur *diuretica.*

§. CCVI.

Quemadmodum vero in ſtatu naturali, vbi ſanguis ad renes libere & ſufficienter, ſatisque dilutus defertur, illa ſponte ſuccedit, niſi ſpaſmodica partium abdominis ſtrictura colatorium renale anguſtet, aut calculus vel ſabulum effluxum impediat: ita ars naturæ imitatrix ad vrinam ſtimulandam vtitur remediis, quæ impedimentis dictorum requiſitorum contrarium effectum edunt.

§. CCVII.

Liberum ad renes acceſſum ſanguinis, indeque pendentem vrinoſi laticis ſecretionem cohibent duæ præcipue cauſæ, *plethora* eminens & *ſtrictura ſpasmodica:* adeoque indicant *nimii ſanguinis artificialem imminutionem* & *antiſpasmodicorum vſum:* quæ remedia priuatiue diuretica dicere licet.

§. CCVIII.

Sic Riuerius aliique obſeruarunt omnimodam vrinæ retentionem, vbi cathetere immiſſo exploratum erat in veſica lotium nullum adeſſe, curatam fuiſſe ſanguinis per venam ſectam emiſſione.

§. CCVIIII.

Antiſpasmodicorum vſum docent phœnomena febrium acutarum, vbi vrina maxi-

me

me tenuis, aquoſa & pauca ſignum optimum maximum eſt inſtantis delirii, a ſanguine ad ſuperiora rapto, poſtquam inferiora ſpasmodice ſtricta detineri coeperunt.

§. CCX.

De antiſpasmodicis quidem infra ſeorſim dicendum eſt, ſed hoc loco non alieno præcipere liceat admonitionem, quod tali caſu omnia prohibeantur, quæ alias diureticorum cenſentur nomine, nec meliora dentur nitro in ſubſtantia, temperantibus & anodinis atque inter hæc ſemine dicto lycopodii mixto, emulſionibus ex amygdalis cum ſemine violarum, milii ſolis, clyſteribus lenientibus, emollientibus, paregoricis, quippe quæ ſtricturas reſoluendo ſecretionem vrinæ certiſſime reddunt.

§. CCXI.

Hæc cautio maxime etiam tenenda eſt, vbicunque cum dolorum vehementia ſuppreſſio hæc coniungitur, vbi nihil, quod ſtimulat, iuuat, ſed quod remittendo demulcendoque fibras emollit, operæ facit pretium.

§. CCXII.

Præter hæc vrinæ fluxum inuitant & augent quæcunque ſanguinem ſpiſſiorem diluunt, eiusque circularem curſum intendunt,

quo ipſo ſe-& excretionem intendi opus eſt. Faciunt hoc quam maxime diluentia, vt potus tenuior aquæ bonæ, cereuiſiæ tenuioris bene defæcatæ, vinum oligophorum bonæ notæ, infuſa calida herbarum veronicæ, hederæ terreſtris, ſaluiæ, theæ, chaerefolii, radicum caryophyllatæ, pareiræ brauæ, graminis, quæ præter blandum ⊖ incidens & aperitiuum, quod in aquam emittunt, ipſo principio aqueo & ſimul calore plurimum efficiunt.

§. CCXIII.

Hæc, vt ex parte priuatiue diureticis, ex minima poſitiuis accenſenda ſunt: ſic porro dantur poſitiue talia ab experientia cognita, quæ principio quodam non ſatis a priori cognito in vias potiſſimum vrinarias agere deprehenſa ſunt.

§. CCXIIII.

Ex horum claſſe primaria ſunt acida ſubtiliora penetrantia, vt vina multum tartarei ſecum vehentia, velut Moſellanum, Rhenanum: 🝇⊖is dulcis, TR aperitiua Moebii, 🝇 aperitiuus Penoti, quæ ſtimulando agere dicere licet, ſed cur ſpecifice vrinarias vias præ ceteris tangant, non facile exponas.

§. CCXV.

Alia claſſis ſtimulantium eſt eorum, quæ alca-

alcalino pollent principio, vt lixiuium calcis viuæ cum vel ſine lacte adhibitum, cineres vegetabilium, præſertim geniſtæ, vitis, ononidis, ℞⊖♀ri, ♁ij acris, metallorum, liquor ⦶li, fixi, liquor ſilicum Glauberi, qui eodem redit: itemqueconchæ vel cochleæ vſtæ, calces lapidum pretioſorum, corallia calcinata.

§. CCXVI.

His vehementiora ſunt, quæ ſale cauſtico ſtimulante animali pollent, vt cantharides, earumque eſſentia, cochinilla, millepedes, bufones, vermes maiales: & ex vegetabilibus allium, cepæ, porri genera, armoracia, & ex parte ſcylla.

§. CCXVII.

Rurſus alia principio conſtant reſinoſo aliquantum ſtimulante, ſed & ex æquo, vt videtur, roborante balſamico, quo fibræ tubulique renales vegetiores redditæ, ſimul vero etiam ſanguinis curſus intenſus mutuo coeunt ad ſecretionis & excretionis vrinariæ opus promouendum. Talia ſunt terebinthina cruda vel cocta, coloſtrum terebinthinatum, balſamus de copaiua, horum ſpiritus, ſeu ☍ æthereum, ſuccinum, eſſentia & oleum ſuccini, vt & ⊖ △le eiusdem: hinc baccæ, ☍um genuinum, rob, elixir Iuniperi.

§. CCXVIII.

Mitiora ſunt, & magis roborantia maſtiche,

ex

ex plantis apium, fœniculum, petroſelinum, pimpinella alba, cherefolium, hedera terreſtris, radix ari, eryngii, vincetoxici, cortex & lignum guaiaci, ſaſſafras, fructus cynosbati, alkekengi. Quibus fere accedunt omnia ſic dicta alexipharmaca, quæ cum regimine adhibita ſudorem pellunt, absque illo vrinæ vias afficiunt, hancque excretionem ſtimulant.

§. CCXVIIII.

Tandem ipſa etiam adſtringentia & roborantia fiunt diuretica in flacciditate & atonia renum adhibita: cuius generis ſunt cortex acaciæ, veronica, equiſetum, hedera ▽ſtris, & id genus plura traumatica dicta in decocto ſaturatiori, certis caſibus proficua; de quo plura ſuo loco dicemus.

§. CCXX.

Pleniorem catalogum ſecundum has claſſes digeſtum ſubiicimus:

§. CCXXI.

Ante vero quam ad vſum diureticorum veniamus, probe conſiderandum eſt, qualia poſtulentur a præſenti ægrotantis conditione, an priuatiua ſufficiant, an vero poſitiua requirantur, quæ ipſa tam modeſte offerri debent, vt ad fortiora vel vehementiſſima numquam venia-

veniatur, vbi leuiora ſufficere poſſe videntur.

§. CCXXII.

Et blanda hæc quidem, vt quæ per infuſa ſanguinem diluentia & modice incidentia excitatur, ⊖ibus autem mediis vel ℞is alcalinis adiuuatur, adeo blanda & benigna eſt, vt fere vbique locum inueniat.

§. CCXXIII.

Ante omnia conſideretur in ſubiecto plethorico, vtrum res ſpectet ad mictum cruentum, quod ex prægreſſis & adiunctis diiudicari poteſt: tali caſu omnino abſtinendum eſt ab quouis diuretico molimine directo, ſed potius venæſectione & ☽oſis agi debet.

§. CCXXIIII.

Si calculus in vrethra vel vretere hærens vrinam impediat, infauſtum molimen foret per diuretica poſitiua velle agere: potius clyſteres emollientes & paregorici, externe relaxantia, interne nitroſa & antiſpaſmodica conueniunt. In vrethra hærenti chirurgica præſidia admoueri debent.

§. CCXXV.

Etiam ſenibus in genere caute danda ſunt, quoniam facile in mictum cruentum & diabeten labuntur, aut ſtillicidium ⊡æ incurrunt.

§.CCXXVI.

§. CCXXVI.

In hominibus ſalacioribus peculiaris cautio ſit, ne cantharides adhibeamus, quum tentiginem moleſtam & periculoſam ſæpe talibus inducant.

§. CCXXVII.

Et hoc nomine eſſentia cantharidum in gonorrhœa, alias ſatis bona, multis fit intollerabilis, quum etiam absque earum vſu ſatis moleſta tentigo tales homines per noctem, non ſine dolore, infeſtare ſæpe ſoleat.

§. CCXXVIII.

Affectus diureſin paulo intenſiorem per poſitiua promouendam poſtulantes aut admittentes, ſunt gonorrhœa diuturna & pertinax, quæ ſub cautela indicata eſſentiam cantharidum admittit: in recenti malo ſufficit oleum terebinthinæ cum 🜍 ſuccini & balſamo de Copaiua: iuncto aliquo decocto conuenienti & eſſentia lignorum vel pimpinellæ albæ, absque regimine diaphoretico.

§. CCXXVIIII.

Dehinc affectus quiuis in lymphæ ſpiſſeſcentia & mucoſitate, corporisque cachectica flacciditate fundati, vt leucophlegmatia, hydrops anaſarca, dyſuria & iſchuria: ſed ſpeciales cautelæ ſuo loco indicabuntur.

§. CCXXX.

In ſabulo renum & calculo veſicæ cum diu-
:eticis caute mercandum eſt: ſed millepedes,
:ochleæ vſtæ operculum cochlearum terre-
ſtrium non male adhibentur, vt & ♀ B.D.D.
Volkammeri: ſpecialiſſime infuſum arnicæ.
?lura in praxi dicentur.

§. CCXXXI.

Nec omnino in ſcabie & cutaneis faciei ef-
floreſcentiis, puſtulis, gutta roſacea, pectoris
nfarctu humido, menſium vitiis, iners eſt
vſus diureticorum meliorum, continuan-
dus.

§. CCXXXII.

In ſimplici vrinæ retentione non debent
negligi externa, vt ☍ ſcorpionum ſimplex
& compoſitum, cataplaſma de cepis, pubi
mponendum, quæ præſertim in infantibus
& ſenſibilioribus quibuscunque ſatis ſunt ef-
ficacia.

§. CCXXXIII.

Si ab vſu diureticorum vrinæ profluuium
largius & longius, quam conuenire ægroto
videtur, ortum ſit, quod memini factum eſſe
in ſene, iuuat rhabarbaro dato humores ad
aluum deuocare & roborantia balſamica ſub-
iungere.

§. CCXXXIIII.

Si ab vſu cantharidum oriatur nimia diu-
reſis,

reſis, aut alia ſymptomata ægrotum vexent, lac potandum detur, aut emulſio fiat ex amygdalis & ſeminibus 4. frigidis maioribus, modo non rancidis, addi poteſt gelatina cornu cerui.

§. CCXXXV.

Quum pleraque diuretica ſimul ſint emmenagoga, circa mulieres peculiaris eſto cautio, ne quid in menſium vel geſtationis negotio turbemus.

SECTIO V.
DE
APOPHLEGMATISMO.

§. CCXXXVI.

A*pophlegmatiſmus* ex vſu veterum ſignificat euacuationem pituitæ per os, excitatam medicamentis acribus, quæ vel gargarizata, vel commanſa, vel palato illita fluxum pituitæ vel ſalinæ concitant, caput expurgandi cauſa.

§. CCXXXVII.

His quaſi ſuccenturiabantur errhina, quæ acrimonia quadam extergente tunicam narium, cui illinebantur, ad excretionem pituitæ cerebro moleſtæ, ſollicitant: & his fortiora ptarmica, quæ eandem fortius ſtimulando

lando tunicam ſternutationem mouent, ſicque fortius concutiendo id, quod altius impactum, vias forte obſtruit, expellere putabantur.

§. CCXXXVIII.

Singula hæc, cerebro ab phlegmate ſuperfluo repurgando dicata, apud veteres innitabantur falſæ hypotheſi, quod cerebrum aſcendentes humiditates colligat, ſitque phlegmati κόζαζον, vnde per infundibulum ad fauces & per os cribroſum ad nares depluat.

§. CCXXXVIIII.

Hac theoria clariori anatomes luce iam antiquata & abolita, vſus apophlegmatiſantium tamen non omnino omittitur. Sequar autem hoc capite alios recentiores, qui apophlegmatismi nomine præcipue illum per nares intelligunt: alterum autem per os & fauces, tamquam ſaliuationem particularem, ſimul cum ſaliuatione vniuerſali tradunt.

§. CCXL.

Eſt itaque apophlegmatiſmus per nares, excretionis fluidi illius mucoſi, quod per tunicam narium pituitariam, in naribus ſtricte dictis & cauitatibus vicinis, naturaliter effluit, vel intenſio, vel, vbi ſuppreſſa eſt, reuocatio, regimine & medicamentis idoneis peragenda.

§. CCXLI.

Illo auxilio maxime opus eſt in affectibus catarrhalibus, caput grauantibus & pectus etiam per continuitatem pituitariæ narium, faucium, palatique membranæ cum illa, quæ aſperam arteriam & pulmonum bronchia inueſtit, affligentibus, vnde raucedo, tuſſis &c. concitatur.

§. CCXLII.

Quemadmodum vero hoc morbi genus vel tranſitorium eſt, ab transſpiratione quomodocunque prohibita & ſuppreſſa, vel habituale ſenibus: ita non locum habet methodus hæc, niſi primario quidem in eo, quod a transſpiratione ſuppreſſa ortum eſt: ſecundario, & reſpectu ſtricte dictorum ptarmicorum, in ſpecialioribus quibusdam caſibus, vt ſingultu, partu & ſecundinarum promotione adiuuandis, aut excutienda ex ſinibus oſſium capitis materia diu contenta, mora diuturniore corrupta & multarum moleſtiarum auctore facta.

§. CCXLIII.

Agunt autem eius generis remedia & methodi vel priuatiue, ſtricturam pororum ab aere frigido-humido inductam relaxando, conſtitutione contraria calida-humida.

§. CCXLIIII.

Sic mature occurri poteſt multis incommodis,

modis, ſi quis, mox ab admiſſo tali errore diætetico, aeri temperato calido ſe committat, infuſumque ſibi parari curet, vel granorum coffe, vel herbæ theæ, vel, quod efficacius puto, recentium citri corticum: huius calidum vaporem, facie linteo obducta, ad nares & fauces admittat, immo ſtudioſe attrahat, & per vices cyathum calide ſorbillet, vt ſimul externus & internus calor humidus ad transſpirationis priſtinum ſucceſſum faciat reuocandum.

§. CCXLV.

Efficacior erit ſucceſſus, ſi ſimul lene diaphoreticum aperitiuum ſumatur, vt eſſentia alexipharmaca Stahlii, ♁ium diaphoreticum, eſſentia pimpinellæ albæ: vel æthiopis mineralis vna alteraue doſis aſſumatur, qui ſæpius ſpectatum in tali caſu, iam tonſillarum tumore accedente, effectum ſpe longe ſuperiorem edidit.

§. CCXLVI.

Vel poſitiuam adferunt opem, ſimul fibras tunicæ pituitariæ ſtimulando & roborando, vt contractione fortiori ſubſequente exprimatur in tubulis excretoriis ſubſiſtens ſerum mucidum. Sic agunt ſalia volatilia ⊡oſa, odoribus balſamicis, vt oleorum ∆torum, iuncta, vt ⏜⊖✳ci cum balſamo vitæ Hoff-

 manni,

manni, ⊖🜂le Anglicanum dictum, hoc eſt ⊖✶cum cum ⊖♀ri vel calce viua iunctum & ℅ lauendulæ, aut ⌒u eiusdem imbutum, ⌒us formicarum +idus odore exceptus. Quæ ſingula potentius & citius optatam opem afferunt, ſi ante dicta priuatiua præmittantur aut interponantur.

§. CCXLVII.

Alia, quæ ſtricto ſenſu errhina vocantur, agunt tunicam narium acrimonia ſua irritando & ſic affluxum humorum concitando. Differunt talia a ſtricte dictis ptarmicis fere tantum applicandi modo. Nam eadem, quæ in ſubſtantia & forma ſicca adhibita ſternutationem mouent, ſi in forma liquida naribus illinas, raro admodum ſternutamentum prouocant, ſed tantum ſimplicem pituitæ narium fluxum inuitant. Cauſam infra inueſtigabimus.

§. CCXLVIII.

Sunt autem eiusmodi ſuccus betæ, tam rubræ quam albæ, ſuccus & butyrum maioranæ, eiusdem aqua 🜄ta non nimis diluta aut ℅i maioranæ guttula vna vel altera V℞ſſimo ſoluta, tum aqua diluta & vel in nares attracta, vel turundis ea imbutis applicata. ⊕-lum album aqua roſarum vel maioranæ ſolutum & in nares attractum vel illitum, euphorbium

phorbium in aqua vel lacte ſolutum, nicotiana petiolæ illigata, madefacta & naribus indita: ipſum ſaccharum vel ⊖✱cum ♀iſatum.

§. CCXLVIIII.

Vere ptarmicum effectum edunt omnia poſitiue purgantia & vomitoria vegetabilia, vt elleborus, gialappa, iris, mechoacanna, nicotiana, euphorbium, aſarum, ſcylla, tum mitiora vt roſa, lilium conuallium: porro ea, quæ ⊖ina acrimonia, ſimulque ☍ æthereo foeta ſunt, vt caryophylli, cubebæ, piper, zingiber, ♀ maioranæ, origani, roriſmarini, thymi, lauendulæ, ſpicæ, ſem. erucæ, nigellæ, naſturtii, rutæ, ſinapios, ♀ ligni aloes reſinoſi, reſinæ benzoes, guaiaci, ♀ radic. pimpinell. alb. pyrethri. Denique ♀es foliorum vel florum elegantiori colore conſpicuorum & eſſentia ellebori albi imbuendorum, vt pro rubro adſumere ſolent flores tunicæ aut balauſtiorum, proque viridi folia betonicæ in vmbra ſiccata.

§. CCL.

Modus ptarmicorum agendi ita intelligitur, ſi ſupponamus tunicæ narium pituitariæ neruos primi paris moliſſimos vnice inſeruire ſenſus illius cauſa, quo nares peculiariter pollent, nimirum odoratus: ſed vt motus aliquid habeant, & præcipue vt di-

latari conſtringique pori & foramina ad cauitates ducentia poſſent, naturam naribus etiam proſpexiſſe de ramis a paris quinti ramo maxillari ſuperiori dicto, qui idem ſurculum vnum aut duos de ſe dimittit, qui vna cum pari ſexto neruum intercoſtalem conſtituunt ad thoracis potiſſimum partes diſtributum, vt amplificationi eius per coſtarum diductionem præſit, quo ipſo aer copioſe pulmones ſubit: qui ſi ſimul ac ſemel elidatur & expellatur, fit ille motus excuſſorius, quem ſternutationem vocare conſueuimus.

§. CCLI.

Ille autem conſequitur quamcunque irritationem ſenſibiliorem tunicæ narium vni eius loco accidentem: vnde hic ſenſus criſpatorius, nobis accurate percipientibus ad pectus propagatur. Ipſam vero irritationem a variis rebus fieri toto die obſeruamus: ſunt, quibus ſola vibriſſarum duriorem titillatio ſternutamentum concitat, ſi alas narium leuiter agitent, alii ſternutant, quando caput eleuant: non raro craſſior puluiſculus in aere obuolitans motum hunc producit: Id tamen fere perpetuo obſeruamus, quod ſicca & puluerulenta acria in nares attracta fortius ſternutare faciant, quam humectata eadem, quæ potius errhinam efficaciam edunt.

§. CCLII.

§. CCLII.

Sunt auctores, qui in ſternutatione ipſius duræ matris contractionem quaſi conuulſoriam fieri, & inde ad pectus propagari, docent; quod quidem in medio relinquimus.

§. CCLIII.

Plura quæri circa hodie tam peruulgatam conſuetudinem nares errhinis ptarmicisque titillandi non inutiliter poſſent: illud certum eſt eos, qui ſibi hanc picam naſi friuole contraxerunt, male ſubinde haberi, ſi quando diutius illa titillatione careant: an vero vlla detur realis vtilitas, tam duro perpetuæ ſeruitutis iugo par & digna, equidem neſcio: illis ſaltem, qui per ſe coryza & grauedine crebrius vexantur, non ſuaſerim, vt ſe inſuper adſuetudine horum puluerum, vtpote decubitum humorum perpetuo inuitantium & fouentium, periculo apoplexiæ aut phthiſeos a deſtillatione, vel catarrhi ſuffocatiui, exponant.

§. CCLIIII.

Equidem fateor, in periculo apoplexiæ, aut iam incipiente inſultu, aliquos feliciter ſeruatos fuiſſe, aut excitatos ſternutatorio tempeſtiue oblato: ſed in hac re ſunt omnino neceſſariæ cautiones, quæ ſuo loco exponentur.

§. CCLV.

Illis, qui hernia laborant, aut hæmoptyſin paſſi ſunt, vera ptarmica nullo pacto conueniunt.

§. CCLVI.

In diuturnis capitis doloribus circa radicem naſi ſubſiſtentibus magna eſt ſuſpicio, aliquam cauitatem oſſium capitis diu collecta, indurata & mora corrupta pituita quadam oppleri: quo caſu iuuat, præmiſſis §. 244. 245. indicatis, ſternutatorium efficax præbere, quo pacto diuturnam cephalalgiam ſæpe ad vertiginem mentisque vacillationem exacerbari ſolitam, feliciter profligatam memini.

§. CCLVII.

Cauſa inſtituendi vel inſtituti apophlegmatiſmi ſublata, nihil iuſtius eſt, quam vt naturam ad ordinariam excretionem ſponte ſua redire patiamur, nec vltra debitum laceſſamus partem tám ſenſibilem & neceſſariis vſibus deſtinatam.

SECTIO VI.

DE SALIVATIONE.

§. CCLVIII.

S*Aliuatio* ſeu *ptyaliſmus* eſt curationis genus, qua omnes humores corporis, prægreſſo mercurialis cuiusdam medicinæ interno vel externo vſu, commouentur, & ad os compelluntur, vt ſub forma laticis ſaliualis inſignis eorum portio effluat & ſimul grauium morborum cauſas ſecum educat.

§. CCLVIIII.

Non parum differt a particulari ſaliuæ, per acria aut nauſeoſa quædam ore detenta vel maſticata, proritatione & euocatione, quippe quæ nullum morbum vniuerſæ humorum maſſæ inhærentem auferre valet, ſed tantum & ad ſummum in proximo hærentem morbificam cauſam quandam minuit.

§. CCLX.

Saliuatio vera nullo remedio in hunc vsque diem cognito moueri poteſt, niſi per ☿ialia.

§. CCLXI.

Fuere quidem, qui per ♀ea prouocare eandem conarentur, ſed conatum moleſtiæ plenum & in effectu irritum ſectatores merito deſtituunt.

§. CCLXII.

Mercurium autem variis modis adhibere, ſcopo ſaliuandi, ſolemus.

α) interne

Crudum ſaccharo ſubactum & in ♀em tenuiſſimum redactum gr. ij. & vlterius, gradatim adſcendendo.

vel cum terebinthina aliisque conuenientibus in pilulas redactum.

Mercurium dulcem a gr. iij. ſucceſſiue adſcendendo ad ℈j & vltra.

☿ii 🝙tati diuerſas ſpecies.

Turpethum minerale.

β) externe

in vnguentum redacto, & articulis illito.

quidam fumum ☿ialem; aut

ex Cinnabari parant; aut

emplaſtra, cingula, ſoleas, pediluuia & neſcio, quæ alia artificia inuenerunt.

§. CCLXIII.

Atque hæc talia ſaliuationem excitant: ſed adiuuandi ſcopo præcipue opus eſt humectantibus: quo ſcopo decocta parantur ex rad. ſarſæparillæ, chinæ, pimpinellæ albæ, ſcrophulariæ, herba ſaponaria, quam Ludouicus Septalius in animaduerſionibus & cautionibus medicis Lib. VII. §. 215. & illuſtris Stahlius inſigni elogio commendat & vel ſolam cum rad.

pim-

pimpinellæ ſufficere adſerit. Addi poteſt ad gratiam conciliandam liquiritia. Si placet, & ſubiectum ſit magis phlegmaticum, addantur Lign. guaiacum, ſaſſafras, iuniperi, tamariſci, fraxini, Sem. aniſi, fœniculi.

§. CCLXIIII.

Quod ad modum attinet, quo mercurius, & inde parata, hunc fluxum ſatis plerumque certe, & de reliquo ſola omnium in orbe cognitorum, prouocant & inducunt, multum diuque de eo diſputatum fuit: profiteor autem, me quoad τὸ διότι, rem non ſatis aſſequi.

§. CCLXV.

Interim puto qualitercunque ſufficere ad negotium peruidendum ſequentia phænomena ab experientia confirmata: 1) Mercurium crudum currentem & præparata pleraque, ſpecifice agere in lymphaticos humores & lymphæ vias, quod docet vis diſcutiens tumorum ſæpe ſatis induratorum in glandulis, vbi emplaſtra ☿rio roborata efficaciſſima ſunt. 2) adeoque humoribus illatus eundem effectum edet in omnia, vbicunque ſint, lymphæ colatoria, quæ modo contigerit, lymphamque ibi ſtagnantem æquabiliter diſſipabit, viasque aperiet. 3) Magis autem & efficacius ea, quæ poros magis patentes & continuæ excretioni adſuetos habent, vt

ſunt

ſunt glandulæ ac viæ ſaliuales propriæ, & his vicinæ palati, faucium, linguæ, gingiuarum pori: vtpote non ſolum continuo madentes & fere ſemper calentes, ſed & breuiſſimam ad eiectionem viam habentes, & mechanico apparatu loquelæ, maſticationis &c. ad excretionem continuo inſtigati & impulſi.

§. CCLXVI.

Me non adeo multum aberrare a vero confirmor duplici phænomeno practico: 1) quod ſaliuatio nulla fiat, ſi mercurius ad vias inteſtinales ruat & vel vomitus vel diarrhœas moueat. 2) quod eadem non eueniat, vel vmquam eueniſſe probata ſit, ſi ☿rio iungatur ſulphur, periphericæ euacuationis arbiter; ea quantitate, quæ viribus ☿ii par ſit, vt in æthiope minerali: quippe hoc præparatum quotidie ad ℥j & vltra datum, ſatisque diu continuatum, per tranſpirationem tantummodo agit inſenſibilem: quod fere idem, ſed non æque certe, ſub continuato vſu, facit cinnabaris, quippe ob minorem ſulphuris quantitatem periphericæ euacuationi potenter conſeruandæ minus apta.

§. CCLXVII.

Adeoque tota res, quantum ipſemet capio, huc redit, vt ☿ius ad nullam ſpecificam euacuationem armatus, aut non ſufficienter armatus, ſanguini inferatur, ſiue per externas partes inungendo infricandoque: ſiue per

os

os in ventriculum deſcendat & humores ſubeat.

§. CCLXVIII.

Quum vero omnino ſit ſaliuatoria curatio heroicis adſcribenda, &, quamuis initio ab empiricis hominibus inuenta & exercita, hodie legibus cautum ſit, ne chirurgi aut tonſores ea, absque præſcitu & directione medici vtantur: operæ ſane pretium facturi videmur, ſi accuratius conſiderauimus, quo pacto hæc curatio inſtitui debeat.

§. CCLXVIIII.

Ante inunctionem opus videtur, vt viæ omnes bene patulæ reddantur, ſanguinis ventilatione, vbi ea requiri videtur, præmiſſa, aluo expedita, humoribus per diætam humectantem fluxilibus redditi, & regimine diapnoico bene obſeruato.

§. CCLXX.

Sic præparato corpore fiat, ſi inunctio placet, vnguentum ad hunc vel ſimilem modum ℞ ☿ii current. ℥jß pingued. ſuillæ non ſalitæ ℥iij ♀ maſtich. ℥j 🝆 maſtich. coct. ℥jß. M. f. l. a. vnguentum. Si odoratum volumus, paucæ guttulæ 🝆 L. rhodii vel L. ſaſſafras ſufficient. Huius portio, quæ non plus ʒij mercurii habeat, prima inunctione applicetur plantis pedum vel volis manuum, aut

circa

circa articulationem carpi & tarſi, altero die etiam flexura genuum & brachiorum inungi poteſt, eademque tamdiu continuari debet inunctio, donec gingiuæ intumeſcere, anhelitus fœtere, fauces anguſtari & quaſi vri dentes vacillare incipiant, quod ſignum eſt inſtantis ſaliuæ fluxus: quo animaduerſo ab inunctione deſiſtendum eſt. Spinam dorſi & caput inungi plures auctores ſerio vetant.

§. CCLXXI.

De excitatione ſaliuationis per ſuffumigationem cinnabarinam, per cingulum ☿iale, per emplaſtra, nihil dico, quod talia vel maiori periculo, veluti prius, vel longiori mora temporis effectum peragere obſeruata ſunt.

§. CCLXXII.

Si per internum vſum vel crudi mercurii in ♀em redacti, vel ☿ij dulcis ſaliuationem excitare viſum fuerit, cautio ſit, vt ab exigua doſi paucorum granorum, ſenſim adſcendamus, donec inſtantis fluxus modo commemorata ſigna emicent: quibus viſis ceſſandum eſt.

§. CCLXXIII.

Notandum eſt, debere inunctionem peragi ad calorem temperatum, ægrotumque continuo manere debere ad diapnoen bene diſpoſitum,

poſitum, diætaque humectante eupeptaque vti.

§. CCLXXIIII.

Si iam ſaliua libere ſatisque copioſe fluit, debet ægrotus eandem per duas tresue hebdomadas, quin aliquando per integrum menſem, tolerare, donec ſaliua ſpiſſeſcens & fœtida abſtinendum eſſe moneat, aut superuenientia ſymptomata torminoſa, ſpasmodica, ſtupores, diarrhoeæ, vomitus continuationem diſſuadeant.

§. CCLXXV.

Vt facilius ferat ægrotus hanc continuationem diuturniorem, valde iuuabitur vſu continuato decocti conuenientis ex ſpeciebus ſupra laudatis, & regimine diapnoico.

§. CCLXXVI.

Si ſaliuatio mox ab initio minus vegete ſuccedat, ſuccurrendum eſt noua inunctione vna vel altera: ſi in progreſſu nimis cito elangueſcat, excitabitur doſi mediocri mercurii dulcis, vel itidem noua inunctione.

§. CCLXXVII.

Durante ſaliuatione, quum dentes vacillent, omnis cibus ſolidus per ſe prohibetur: iuſcula, ouaque ſcorbilia cum pulmentis pro nutrimento ſunto: exulanto omnia valde ſalita vel acida.

§. CCLXXVIII.

§. CCLXXVIII.

Quoad potum maxime conuenit cereuiſia probe defæcata, cui quisque adſueuit, modo non nimis craſſa: nec vinum modice ſumtum abſolute prohiberi debet, modo ſit tenue, aut reſpectu illius, cui quisuis adſueuit, minus forte. Sed extra cibi ſumendi tempora infuſa vel decocta lignorum & radicum conuenientia locum inueniunt.

§. CCLXXVIIII.

Alui ſucceſſum attendere & procurare omnino decet; qui ſi videatur deficere, oportet ad lenientia illa in cibis ſumenda confugere, vt pruna, paſſulas: quibus non ſufficientibus ad ſummum ſenna paſſulis mediocri quantitate addita conceditur.

§. CCLXXX.

Alui tarditas æſtimari maxime debet ex diæta prægreſſa: nam ſi ſubiectum craſſis cibis, multum fæcumque relinquentibus fuerit vſum, mirum videri non debebit, ſi ſub hac tractatione, vbi nil niſi iurulenta & ſumme eupepta adſumere cogitur, aluus conſtipetur: quare conſuli debet huic defectui quocunque poſſibili modo per panatellas paullo craſſiores, hordeum minus ſubtile decorticatum, oleracea non nimis flatulenta, ſcilicet in bene adſuetis, vt aliquid fæculenti, quod inteſtina extendat, remouere poſſit.

§.CCLXXXI.

§. CCLXXXI.

Sed & ſollicite inuigilare oportet plurimis, quæ ſaliuationi ſuperueniunt vel adiunguntur ſymptomatibus.

§. CCLXXXII.

Frequentiſſimum ſymptomata & fere ineuitabile eſt oris & faucium exulceratio, vbi ſuccurrere debemus gargariſmis ex ſpeciebus reſoluentibus, blande roborantibus & ſimul mucilaginoſo principio demulcentibus, e. g. decoctum hordei cum floribus ſaluiæ & roſarum rubrarum, cui vtiliter additur mel roſarum, ad ℔j decocti, vnciæ tres. Si vlcera putrida videantur, tantillum vnguenti Ægyptiaci addi poteſt e. g. ad ℔j decocti, drachmæ tres vel vncia ſemis huius vnguenti. Si iam ſatis depuratum ſit os, & ſaliuatio ad finem tendat, addatur decocto hordei cum melle roſarum alumen vſtum ad ℈ii.

§. CCLXXXIII.

Frequenter os aperiendum eſt, & penicillo gargariſmate prædicto madente partes diduci debent, ne exulcerata inter ſe coaleſcant.

§. CCLXXXIIII.

Poteſt etiam ℞a gummi Laccæ melle roſarum temperata ad exulcerationes oris & faucium recte inungi, ſcopo ſimul depuratorio & roborante.

§. CCLXXXV.

Non minus elegans eſt ad fauces arroſas remedium, quod ex Eſſentiis ſuccini & myrrhæ, ſine alcali paratis, componitur, cui in grauiori corruptione aliquid olei caryophyllorum vel cinnamomi adiungatur. Debet autem eiusmodi mixtura balſamica oleo ouorum aut amygdalarum dulcium attemperari, ne nimis feruenti acrimonia cum dolore irritet.

§. CCLXXXVI.

Si nimia ſit ſaliuatio & ſuffocationis periculum minetur, optimum eſt ſuccurrere per remedium aliquod catharticum, quo ſine veteres dare ſolebant pilulas cocchias ad ℥j, ſed & potio purgans ex infuſo rhabarbari, aut extractum panchymagogum Crollii ad ℈j vel ℈jß ſcopo ſatisfacient; nec non externa purgantia, vt 🝆 ricini expreſſ.

§. CCLXXXVII.

Purgatione facta non male ſubiunguntur diaphoretico-anodina, vt electuarium diaſcord. Frac. ad ℨj. ℨij-ℨiij. Laudanum liquid. Sydenh. ad gt. xij. Pilulæ Starckey. gr. vj-x. Quin maxime opus eſt euacuatione ad alui vias reuocata deinceps inſiſtere ſucceſſui blando diapnoes, omninoque debet opera dari, vt poſt ſaliuationem iam ſuppreſſam, quicquid de ☿io in corpore reſtat, per repe-

titas

titas laxationes, continuatumque regimen diapnoicum e corpore eliminare ſtudeamus, quo fine eſſentia pimpinellæ albæ cum decoctis & infuſis conuenientibus ſatis diu debent continuari.

§. CCLXXXVIII.

Si ſucceſſum ſaliuationis crebra alui tormina, vel fluxus alui nimius interpellent, obuiam his ire oportet clyſteribus demulcentibus, ex radicibus mucilaginoſis, vt altheæ, lilior. alb. cum lacte decoctis, additis vitellis ouorum, & momento theriacæ. Per os autem exhibeatur theriaca vel diaſcord. Fracaſtorii.

§. CCLXXXVIIII.

Quo pacto ſudatio & ſaliuatio ſimul adhibenda ſit ei, qui morbo gallico vetuſto & repugnante laborat, velim legatur fuſius apud Yuonem Gauckes aliosque auctores, qui ex inſtituto hoc argumentum pertractarunt.

§. CCXC.

Sunt auctores, qui præcipiunt ante ſaliuationem tentandam præmitti debere per aliquot dies ſudationem; quod ſi intelligatur de regimine diapnoico, interpoſitis humectantibus & diluentibus neutiquam videtur eſſe reprehendendum. Si vero de curatio-

ne directe ſudatoria; merito deterrere nos debet Riuerii obſeruatio Cent. I, 77. vbi horrenda ſymptomata deſcribuntur, in quæ delapſus fuit iuuenis cholerico-melancholicus, cui poſt curationem ſudatoriam, ſaliuatoria demum fuit tentata. conf. Septalius animadu. lib. VII. §. 227.

§. CCXCI.

Saliuatio ordinarie quidem tantum debetur lui venereæ: ſed celeberrimi auctores medici inſuper obſeruarunt etiam præter hunc affectum eam mederi variis grauibus & deſperatis morbis, vt epilepſiæ, vitiis oculorum a nerui optici obſtructione, vt guttæ ſerenæ, (de quo nouiſſimum exemplum edidit Exc. D. D. Heiſterus peculiari diſſertatione tractatui de catarracta ſubiuncta) & catarractæ initiis febri quartanæ pertinaciſſimæ, tandemque vlceribus ſerpiginoſis, quin ſcabiei refractariæ.

§. CCXCII.

Saliuationem inſtituere vetat omnino corporis magna debilitas & extremus languor, nec non nimia ſiccitas: hinc etiam ſtatus grauiditatis. Nam etſi exempla proſtant mulierum, quæ ſaliuationem ſine damno perpeſſæ ſunt, cum ſe grauidas eſſe vel ignorarunt, vel diſſimularent: non tamen ſatis tuto euentus eiusmodi ad regulam reuocari poſſe videtur, quum

quum vnum vel alterum experimentum ad firmam experientiæ regulam minime ſufficere poſſit.

§. CCXCIII.

Atque hæc de ſaliuatione dicta ſufficiant: vbi in fine monere iuuat, medici dignitatem vix decere, vt ſine chirurgo hanc curationem aggrediatur: quum multa poſſint circa oris fauciumque curam ſedulo habendam occurrere, eaque non valde iucunda, quæ per ſe obire nolit medicus, aut vix ſine dignitatis ſuæ dettimento poſſit.

§. CCXCIIII.

In vniuerſum feſtinare ad ſaliuationem non eſt cordati medici: quum multa proſtent eorum exempla, qui, quum ſaliuationem fruſtra perpeſſi eſſent, tandem reſtituti fuerunt blanda continuatione diaphoretico-diapnoicæ methodi & vſus mercurii præcipitati rubri aut turpethi mineralis eo modo, quem in materia medica ſuis locis indicauimus, mitigati: quin ipſum leniſſimum omnium æthiopem mineralem in non plane enormi malo venereo, & extra hanc labem in plerisque caſibus, vbi ſaliuatio inſtitui ſolet, ſufficere poſſe experientiæ fidem habere licet.

§. CCXCV.

Saliuatio particularis, ſeu ſputatio potius

 per

per acria quædam excitata exigui vſus eſt & paucis omnino caſibus reſeruanda eſt.

§. CCXCVI.

Sic iis, qui graſſante contagioſo morbo cum infectis propius conuerſari debent, non male ſuadetur, vt ſaliuam continuo eiiciant: vtque profluuio copioſiori os ſemper madeat, ſolent trochiſci quidam ſublinguales confici ex paulo acrioribus, vt cubebis, zingibere, pyrethro, caſcarilla, ♀ radicum alexipharmacarum vt imperatoriæ, pimpinellæ albæ, quas cum mucilagine tragacanthæ, addito vel demto ſaccharo cogunt in maſſam.

§. CCXCVII.

Alii, quibus os naturali vitio ſiccius eſt, conſueuerunt nicotianam maſticare, vel ex prædictis aliquid vel globulum, aut aliud quid durum ore volutare.

§. CCXCVIII.

Nonnulli in odontalgia pertinaciori talia ore accipiunt, vt pituitam euocent; vbi quemuis meo exemplo moneo, ne ſtaphidos agriæ ſemina denti dolenti imponat, adeo enim malum mihi exacerbauit, vt humanam patientiam ſuperare videretur.

§. CCXCVIIII.

Tutiſſimum fere videtur hoc caſu nicotianæ

tianæ fumum ſugere, qui non ſolum pituitam euocando, verum etiam anodina virtute præcipue confert.

§. CCC.

Sputationem per medicamenta cuprea excitandam, vtpote moleſtiæ pleniſſimam ex duplici fundamento improbamus; primo, quod vniuerſalem humorum depurationem, organorumque colatoriorum apertionem nullo pacto præſtare valent: ſecundo, quod venenoſa ſeptica cupreorum virulentia totam œconomiam naturalem & vitalem turbat: vt experientia docuit, nauſeam diuturnam, flatulentias, quin hydropes, fuiſſe inſequutos.

§. CCCI.

Addimus pro colophone apophlegmatiſantia ſopientibus caute iuncta non incommodum eſſe remedium odontalgiæ. Eius generis eſt gargarismus de pyrethro Fulleri, quem in pharmacop. extempor. deſcribit ſequentem in modum ℞ rad. pyreth. ℥ß ſem. pap. alb. hyoſcyami à ʒij caryophyll. ʒß vini albi ℔ß +ti ℥iv. coque ad ℔ß colaturæ adde 🜄 ℥ij. M. tepide adhibeatur. Compendioſius iuuat nicotiana in vino albo decocta: nam hæc herba ſimul acris ſimul quoque eſt anodina.

§. CCCII.

Veteribus Pythagoreis arriſit apophlegmatismus ſatis diſcuſſorius ad aurium ſuſurrum & hebetudinem corrigendam ✝tum ſcylleticum, ſatis acre, tempore matutino adhibendum.

SECTIO VII.

DE EXPECTORATIONE.

§. CCCIII.

E*xpectoratio* eſt excretionis per tracheam & bronchia pulmonalia excitatio & intenſio, ad excluſionem materiæ præternaturaliter ibi decumbentis aut detentæ.

§. CCCIIII.

In hominibus ſec. nat. conſtitutis continuo viget euacuatio aliqua in dictis viis, ſed tam blanda, vt ad inſenſibilem transſpirationem non immerito referatur, aut ad ſummum ſcreatu facili reiiciatur, arctoque affinitatis vinculo coniuncta eſt cum ea, quæ fit per nares, earumque pituitariam tunicam, ſic vt non facile alterutra ſola a cauſa quadam externa lædi conſpiciatur.

§. CCCV.

Minuitur autem potiſſimum & ſupprimitur

tur ab aëre frigido humido, præſertim crapula, aut alia humorum notabili commotione prægreſſa & in ipſo ſucceſſu laudabili prohibita excretione ordinaria.

§. CCCVI.

Vel a nimia ſiccitate & caliditate aëris hauſti & ſimul atomis puluerulentis intermixti terreſtreitate illud naturale humidum viſcoſum, quo canna ſpiritalis obduci debet, exſiccatur & incraſſatur, vt non poſſit exhalando ſenſim abſumi, ſed potius induratum poros obſideat, & ſubinde irritatoria aſperitate tuſſim moleſtam, plerumque tamen ſatis diu irritam & inefficacem producat.

§. CCCVII.

Vel ſerum ſanguinis acrius per poros huius canalis exſudans, tenuius tamen quam quod tuſſiendo facile emoliri poſſimus, ſenſibilem membranam nerueo-vaſculoſam quidem moleſto ſenſu irritat & tuſſim prouocat verum identidem inefficacem.

§. CCCVIII.

Hæ ſunt communiſſimæ ſpecies chronicorum decubituum expectorationem, aut ſaltem expeditionem viarum quamcunque modo poſſibilem poſtulantes: ad quas accedit acutus ſtatus ſub peripneumonia ac pleuritide, vbi itidem expectorationis tempeſtiuæ quam maxima neceſſitas elucet.

§. CCCVIIII.

Quoniam vero ſinguli hi caſus vel tuſſim adiunctam habent, vel excretio in illis indicata & ab iis requiſita mediante tuſſi peragitur, hinc eadem remedia, quæ hic efficaciter ſuccurrunt, becchica vocari ſolent, quod tuſſim, quæ eſt vehemens crebra & ſonora aëris prius copioſius inſpirati momentanea exploſio, a fibrarum tracheæ ſenſibilium ac motricium pulmonalium, nec non muſculorum pectoris contractioni dicatorum contractione, cauſam eius remouendo, tamquam ſymptoma, auferant.

§. CCCX.

Indicant igitur vſum expectorantium ſeu becchicorum modo indicatæ conditiones: quibus accedunt rariores caſus, vbi aliquid toto genere præternaturale in arteriam aſperam illapſum eſt, quod continuam tuſſim mouet, omninoque remoueri debet.

§. CCCXI.

Indicantur autem vel talia, quæ tunicam aſperæ arteriæ & bronchiorum relaxando, humores autem impactos reſoluendo & ad effluxum aptos reddendo iuuant, quæ omnino conueniunt cum illis, quæ iam ad ſimilem pituitariæ narium tunicæ ſtatum commendata ſunt; vel quæ ſimul expediendo & reſerando vias, ſimul vero etiam acrimonia

quadam

quadam ſtimulando tuſſim excitant & adiuuant: vel quæ mucilaginoſitate ſua acrem & irritantem tenuem materiam incraſſant, vt tuſſiculoſo motu iam non amplius irrito expelli posſint: vel denique quæ ſtaſes ſanguineas reſoluendo inflammatoriam ſubmouent diatheſin, indeque pendentem ſpaſmodicam ſtricturam tollunt; vel tandem quæ relaxatarum fibrarum flacciditatem corrigendo æquabilem ſanguinis diſtributionem faciunt. Ad quæ vltimo accedunt per indirectum ſeu priuatiue expectorantia, quæ humores aliorſum deuocant & vel per vrinæ vias, vel per aluum, vel diapnoen auctam vitium emendant.

§. CCCXII.

Priori indicationi conueniunt infuſa eorumque vapor cum aëre attractus, decoctum raparum exſiccatarum vel ſimpliciter in culina præparatum, vt in cibum ſolent, vel additis rad. glycyrrhizæ, herb. cynogl. tuſſilaginis, cuius decocti exemplum dat Fullerus: ♆ eiusque præparata flores & lac, nec non balſama temperatiora, æthiops mineralis, Eſſentia pimpinell. albæ, alexipharmaca Stahl. inunctiones pectoris, quatenus poros obſtruendo ad hoc loco tranſpirationem ad obſtructa loca inuitant: & denique regimen accurate diapnoicum.

§. CCCXIII.

Secundæ indicationi reſpondent rad. enulæ,

læ, ari, imperatoriæ, bardanæ, iridis Fl. leuiſtici, trifol. fibrini, ariſtoloch. rot. veræ, ſcyllæ, herba hyſſopi, cherefolii, marrubii albi, eryſimi, nicotianæ, rorellæ, ſcordii: Flores ſtœchad. Arabicæ, ſpicæ, baccælauri, ſem. aniſi, fœniculi. cort. caſcarillæ, Lignum ſaſſafras, ſperma ceti, gum. ammoniac. Eſſ. myrrhæ, ſuccini, Liquor C. C. ſuccinatus, Balſamus 🜍is aniſatus, ſuccinatus. Lohoch viride Fulleri (ex Sapon. Ven. ℈ij 🝆 amygd. d. ſyr. viol. a ℥j M.) ℞ ♁ij acris c. 🝆 aniſi aut ∽⊖✱ci aniſato. Syr. de eryſimo Lob. Oxymel ſcylliticum + ſcylliticum. Syr. nicotianæ, de hyſſopo, violarum, Lohoch de allio, porro +idum reconditum habentia, vt ∽⊖ci dulcis, ∽ aſthmaticus Mich. ∽♀ri, ∽ gum. ammoniac. guaiaci.

§. CCCXIIII.

Ad tertiam indicationem abſoluendam longe plurima proſtant tam ſimplicia, quam compoſita, quorum poſteriorum plurima aliquid anodyni lenientis non intempeſtiue adiunctum habent, vt rad. alth. liquirit. ſymphyt. nymphææ (eſt anodyna ſimul) Fl. papau. errat. præſertim lacte feruente infuſi. Fol. tuſſilagin. Fruct. iuiub. ſebeſt. caric. ping. dactyl. ſiliquæ dulc. amyd. dulc. (in emulſ. vt & pineæ, piſtachiæ, Semina frigida mai. & min.) ſem. papau. hyoſcyami (etiam in emulſ. vel puluere & decoct.) Gummi tragac. Ara-

bic

bic. ceraſor. lac, ſerum lactis, gelatinæ, emulſiones, 🝆 lini, ſyr. dialth. F. diacodium Mont. trochiſci becch. ſacchar. lactis, Spec. diaireos, diatragac. frig. diapenid. it. mel. eſſ. ſacchar.

§. CCCXV.

Claſſi horum merito ſuccenturiantur anodyna poſitiua: quippe ſola ſæpe irritatio ſpaſmodicam durabilem ſtricturam inducit, quæ ſubinde vnica doſi tempeſtiue oblati anodyni aufertur, quo fine præcipue celebrantur Pil. de Styrace, de cynogloſſa, Starckeyanæ, quarum pauca grana ♀i antiſpasmodico iuncta rem facile expediunt.

§. CCCXVI.

Nec minus præclaram opem in tuſſi eiusmodi acri tenui præſtat ▽ ∂ta dracunculi eſculenti. Idem de ſuo ſyrupo e cynogloſſa promittit Fullerus.

§. CCCXVII.

Ad expectorationem in inflammatoriis pectoris affectibus promouendam facit maxime regimen diapnoicum tranquillum, potiunculæ diapnoicæ ex ▽ taraxaci, chærefol. ſcabioſæ, card. bened. Mariæ, mandibul. luc. piſc. dens apri, ♁ium diaphor. ſed omnium optime miſturis talibus addendum extr. caſcarillæ, addi iisdem poteſt ſperma ceti recens non rancidum, aut idem ſeorſim cum 🝆

amygd.

amygd. dulc. exhiberi. In nimio æſtu emulſiones ex ſem. C. B. aut card. Mariæ, melonum non rancidis, papau. albo, plura in tractatione huius affectus ſuppeditabuntur. Externa, vt cataplasma ex fegopyro cocto c. croco &c.

§. CCCXVIII.

Inter ea, quæ flacciditatem fibrarum emendando iuuant, eminent veronica, ſcabioſa, ariſtolochia vera, pulmonaria, conſolida, capillus veneris, muſcus pyxidatus, quorum decocta cum additis conuenientibus ex ſuperius dictis exhiberi poſſunt: aut compoſita vt ſyrupus capilli ♀is, de ſymphyto, ad tuſſim conuulſiuam Fulleri.

§. CCCXVIIII.

De illis, quæ humores aliorſum auocando pectus expediunt, nihil opus eſt addere: monemus tantum ſæpe exſpectatione maiorem effectum edidiſſe veſicatorium ſuris applicatum: cuius rei cauſa non tam pendet a ſero detracto, quam ab attenuatione humorum a cantharidum ⊖e peracta.

§. CCCXX.

Ex his itaque optima & ſelectiſſima ita debent coniungi, vt pluribus, quæ in indiuiduo occurrunt, conditionibus medicina quadret.

§. CCCXXI.

Circa modum talia adminiſtrandi, memo-

rii

ri mente vtique tenendum eſt, naturam primario numquam intendere expectorationem per ſe & propter ſe, ſed propter moleſtiam aliquam ſiue humoribus in genere, ſiue viis inhærentem: quare ſimul vtique reſpiciendum eſt vel ad humorum vitium corrigendum, vel ad vitioſum decubitum hactenus minuendum, vt minor ſit ad arteriam & bronchia affluxus.

§. CCCXXII.

Hoc impetrabimus humorum contemperatione per partim diluentia, partim abſorbentia: & per euacuationem tempeſtiuam ſiue alui, quod initio curationis omnino conſultum eſt, quin in progreſſu vtiliter etiam inſtituitur, ſiue per ſanguinis miſſionem, vtique ſi tempus conſuetum, aut naturalis euacuationis emanſio, aut denique vrgens plethora ſuadeat, ſiue denique vias vrinæ ſtimulando, quoniam certum eſt, pectoris & veſicæ excretionem coniunctas valde rationes habere.

§. CCCXXIII.

Merito ſuſpecta eſſe debet medico rationali diuturnior expectorationis continuatio: quare numquam aſſenſum præbere conuenit illi methodo, quæ per pectus euacuare pergit & præclare agi putat, ſi plurimum euacuetur: quum certum ſit, continuato becchicorum

dulcium vſu e pectore continuo eiici, quæ numquam ad pectus decubitura fuiſſent, ſi ſine hoc abuſu ægrotus fuiſſet. Tali autem ſtatu, quum interior membrana tracheæ & bronchiorum ipſæque veſiculæ pulmonales in dies magis relaxentur & decubitus firmetur, non mirum, phthiſin immature accuſatam ſubinde accerſi.

§. CCCXXIIII.

Itaque quamprimum expectoratio ſuccedere incepit ab eo tempore poſitiua expectorantia vltra biduum triduumue non debent continuari: tum vero ad auertendam materiam laxari, poſt anodynum ſubiungi, reliquum autem tonicis & diapnoicis abſolui debet.

§. CCCXXV.

Quando tuſſis ſicca hypochondriaca ex menſium ataxia aut hæmorrhoidalibus commotionibus vrget, vel res plane ad hæmoptyſin ſpectat, expectorantia neutiquam conueniunt, ſed potius talia, quæ blande temperando & roborando ſimul humorum & motuum vitia emendent.

§. CCCXXVI.

Quibus conditionibus peripneumonia & pleuritis expectorationem admittat, praxi ſpeciali merito reſeruatur: nunc modo monemus, inter plurimos ægrotos raro poſitiuis

expecto-

expectorantibus locum fieri, ſi nihil vel a medico vel ægroto peccatum ſit.

§. CCCXXVII.

Externorum vſum ſæpe neceſſarium facit admodum magna violentia tuſſis & continuus per multas horas, quin ſæpe integram noctem, eliſorii illius vehementis motus ſucceſſus, vbi fibris muſculorum intercoſtalium & pectoralium relaxandis & emolliendis, partim roborandis, opera danda eſt, aliqua ἀποθεραπείας ſpecie. Deinde & poſitiue iuuare poſſunt, dum humores a ſuperficie vel detinendo & ad interiora ſic inuitando, vel in ſuperficie reſoluendo, ſucceſſiue ſtimulum expectoratorium humoribus inſinuant: vel denique efferos motus conuulſiuos remittendo, ſpaſmumque ſoluendo efficiunt, vt euacuationis ſucceſſus ſperatus ad votum fluat.

§. CCCXXVIII.

Quæ ſpecialiſſime in ſingulis morborum expectorationem requirentium vel admittentium generibus notanda ſint, therapiæ ſpeciali reſeruari debent.

SECTIO VIII.

DE EVACVATIONE SANGVINIS.

§. CCCXXVIIII.

Quemadmodum ſanguinis, etiam laudatiſſimi, nimia quantitas, vaſa ſuperonerando eorumque naturalem vim ſeſe contrahendi minuendo, progreſſum eius liberum ſufflaminat & maximopere impedit, adeoque non ſolum procatarctica multorum morborum cauſa exiſtit, verum etiam in nonnullis proximam mortis cauſam producit: ita omni modo neceſſarium eſt, medicum inuigilare ſanguinis legitimo progreſſui, ipſique, ſicubi neceſſarium videtur, iuuando molientes excretiones legitimas, aut ſuppreſſas reuocando, aut denique artificiales inſtituendo, ſuccurrere.

§. CCCXXX.

In hunc finem ab omni æuo celebrata ſunt ſubſidia quædam partim ex *pharmaceutico*, partim ex *chirurgico fonte* depromta; quorum legitimum tempeſtiuumque vſum hæc ſectio demonſtrabit.

§. CCCXXXI.

Quoniam vero dicendorum multitudo diuiſionem neceſſariam facit, primo agemus de *artifi-*

artificialibus chirurgicis, deinde de *naturalibus arte pharmaceutica* prouocandis vel promouendis.

§. CCCXXXII.

Ad claſſem priorem referri debent 1) *arteriotomia*, 2) *phlebotomia*, 3) *ſcarificatio*, 4) *hirudines:* ad alteram pertinet conſideratio, quomodo promoueri euacuationes debeant a) *in genere*, b) *in ſpecie narium hæmorrhagia*, c) *menſium*, & d) *hæmorrhoidum fluxus*, & denique quo pacto *lochia* pellantur aut promoueantur.

Subſectio I.

DE ARTERIOTOMIA.

§. CCCXXXIII.

Arteriotomia eſt operatio, qua arteria quædam ſiue inciditur, ſiue diſcinditur, vt ſanguis arterioſus poſſit emitti.

§. CCCXXXIIII.

Hæc reuera a pluribus auctoribus laudatur ac commendatur, quam in vſum a medicis, apud nos ſaltem, reuocatur: idque non ſolum, quia raro chirurgus adeſt, cui operationem committere liceat, verum etiam quia

vere obſcurum eſt, quid præſtare poſſit, quod periculo cum ea coniuncto æquipolleat.

§. CCCXXXV.

Primo enim ſecari arteriam alio loco, quam in fronte vel temporibus, vel pone aures non poſſe, ſaltem non tuto poſſe, hodie ab omnibus, ni fallor, conceditur. Ab eiusmodi autem arteria ſecta interceptio ſanguinis in partem impetuoſius ruentis, quam veteres maxime ſpectaſſe videntur, non poterit exſpectari, aut ſaltem non alio modo impetrari, niſi quatenus communem maſſam efficaciter minuit: deinde aneurysmatis periculum non parum terret.

§. CCCXXXVI.

Adeoque quod promittitur apoplexiæ remedium ab arteriotomia ancipitis vſus a priori omnino apparet: forte tamen in iunioribus plus quam in prouectiori ætate fructus afferre poſſit.

§. CCCXXXVII.

In cephalalgia diuturna, ſi partes externæ potiſſimum patiantur, non omnino inutilem operam ab ea exſpectare licuerit, obſeruatque eius fructum Tulpius obſ. I, 48.

§. CCCXXXVIII.

In dentium auriumque doloribus exiguos

arteriæ

arteriæ ramulos poſt aurem quærere, omninoque diſcindere multi iubent, inſuper habito metu ſterilitatis ex tali euacuatione metuendæ.

§. CCCXXXVIIII.

Multa de arteriotomiæ fructu in vtramque partem diſputata apud M. Aurel. Seuerinum chir. efficacis part. II. pag. 36. ſeqq. legere licet, quorſum merito iam remittimus, &, nunc modum tutiſſime eam adminiſtrandi luſtramus.

§. CCCXL.

Galli auctores, vt Dionis in oper. chir. demonſtr. VII. requirit, vt is, cui ſecari arteria debet, capitis ſitum decliuem habeat, quo ſanguis copioſius influat: tum digito pulſum probe obſeruet, locumque commodiſſimum vngue impreſſo denotet, hinc lanceola, vt in vena ſecanda facimus, aperiat: ſed Germani libentius vtuntur balneatorum illo inſtrumento, quod Flitte vocatur, quippe non nimis profunde penetrante.

§. CCCXLI.

Fruſtra, & contra ſanam rationem, præcipitur ligatura colli ſtrictior ante ſectionem, quippe ab hac venæ potius quam arteriæ intumeſcunt.

§. CCCXLII.

Sanguinis quantitas ex arteria ordinarie maior, quam ex vena detrahitur: &, ſi vires patiuntur, ad libram & vltra adſcenditur.

§. CCCXLIII.

Si ſanguis cohibendus eſt, linteum ſextuplicatum ex aceto expreſſum imponitur, deſuper autem lamina plumbea aut moneta quædam deligatur. Dum fit deligatio arteria infra locum inciſionis digito ad quadrantem horæ vel vlterius premitur, quo affluxus ſanguinis cohibeatur. Deligationem non nimis cito oportet remouere, ſaltem per octo dies compreſſio modica in loco vulnerato relinquenda eſt, vt eo minus ſit aneurysmatis periculum.

Subſectio II.

DE

PHLEBOTOMIA.

§. CCCXLIIII.

Phlebotomia eſt artificialis venæ cuiusdam inciſio, vt ſanguinis tantum, quantum inſtituti ratio poſtulat, emitti inde poſſit.

§. CCCXLV.

Fuere olim, qui negarent, ſanguinem mittendum

tendum eſſe, Eraſiſtratei potiſſimum, quorum veſtigiis Helmontiana etiam ſchola inſtitit: ſed quum noſtro æuo vix ſuperſint, qui hoc remedii genus repudient, longam aduerſus improbantes diſputationem inſtituere non eſt opus.

§. CCCXLVI.

Sed ea magis tam neceſſaria, quam difficilis eſt quæſtio, quibus ſubiectis, morbis, temporibusque morborum adhibenda ſit venæſectio. De quibus aliqua annotare decet.

§. CCCXLVII.

Pendet autem tota controuerſiæ vel dubitationis huius deciſio a conſideratione vſus, quem venæſectio præſtat. Is autem conſiſtit 1) in plethoræ imminutione, 2) in ſanguinearum commotionum certæ parti moleſtarum reuulſione ac deriuatione, 3) in præparatione ad qualitatum ſanguinis emendationem.

§. CCCXLVIII.

Et primo quidem nimiæ ſanguinis copiæ noxas attigimus §. 329. ſcilicet vaſis ſuperoneratis circulatio retardatur, hinc calor & ſubtilitas ſanguinis ſenſim decreſcunt: inde ſtagnationes, ſtaſes, aliquando vaſorum perruptiones conſequuntur: quibus ſingulis partim ſuccurrit, partim emendandis valet tempeſtiua ſanguinis detractio, quæ pulſum & fortiorem & celeriorem reddit: quo ipſo ſen-

ſim aucto calore fluiditas redit, omnesque ſe- & excretiones ad legitimum debitumque ſucceſſum redeunt.

§. CCCXLVIIII.

Deinde memoriæ reuocandum eſt, quod in phyſiologia habuimus dari ſecundum ætates diuerſas ſanguinis etiam certas inclinationes ad decumbendum in certis partibus, vt in adoleſcentia ad caput humores maxime feruntur: in iuuenili ætate ad pectus, in virili ad partes abdominis: aliquando, vt cauſæ externæ occaſionales inuitarunt, ad externas partes: his in ordinem redigendis ſanguinis detractione aliquando opus eſt in parte remota: vt e. g. ſanguis in pede euacuatus illum ad caput vel pectus decumbentem auocet, & præſertim in feminis ad vias vteri, aut in viris ad hæmorrhoidales deducat: idque vocamus reuulſorio ſeu deriuatorio ſcopo ſanguinem mittere.

§. CCCL.

Correctorio ſcopo rarius directe opus eſt ſanguinis miſſione, niſi quantum coniuncta eſt ſpiſſitudinis mater abundantia, eademque ſecretionum & excretionum liberum laudabilemque ſucceſſum inhibuit & adhuc inhibet: vnde cum priori indicatione conuenit.

§. CCCLI.

Ex dictis facile iudicatur, venæſectionem indicari ab humorum abundantia & vitiis ſimul ab abundantia & orgaſmo inductis: adeoque eam excludi, vbi nulla harum rationum vrget.

§. CCCLII.

Seorſim indicatur, vbi naturales hæmorrhagiæ olim ſponte copioſeque ſucceſſerunt, nunc autem in loco conſueto ceſſant, ſed ſubſequitur in ipſa illa vel vicina parte dolor diſtenſorius, anguſtiæ ſenſus aut alia molientis eruptionis ſigna emicant, v. g. ſi ceſſantibus per ætatem hæmorrhagiis narium caput volatico æſtu, dolore æſtuante, aut obtuſiore diſtenſorio grauatiuo vexetur, aut pectoris anguſtia, oppletio, anhelitus difficultas ſuccedant, metui debet, ne per pulmones exitum ſanguis quærat, adeoque opus eſt, vicariam naturali omiſſæ euacuationem artificialem ſurrogare.

§. CCCLIII.

Idem obtinet, ſi loco alius cuiuscunque naturalis euacuationis ceſſantis in alio loco difficilia molimina obſeruentur, aut plane res ſpectet ad perruptionem in loco periculoſo, vt ad vomitum cruentum, mictum cruentum, quæ ſingula per VSnem tempeſtiue occupantur.

§. CCCLIIII.

Vbicunque ſtaſis quædam inflammatoria adeſt, ſiue a violenta cauſa externa ſit inducta, vt lapſu, contuſione: ſiue a cauſis procatarcticis lente inceperit, ſi plethora vrget, ab initio morbi eſt neceſſaria.

§. CCCLV.

Ad ipſas hæmorrhagias, ſiue nimias impetuoſasque tollendas, ſiue in loco periculoſo erumpentes ſiſtendas per modum reuulſionis in loco oppoſito & remoto vtiliſſime inſtituitur, non ſolum curatiue, ſed etiam ne recurrente eadem temporis periodo recrudeſcant.

§. CCCLVI.

In grauidis plethoricis, diætam plenam ſectantibus, otioſis venæſectio abortum certiſſime præcauet, ſi in brachio mox a conceptione & medio geſtationis tempore inſtituatur: partum autem facilitat, multaque incommoda præcauet, ſi breui ante partum inſtantem celebretur. Nec ſolum abortum præcauet, verum etiam alia, præſertim primipararum incommoda, vt vomitiones, diſficultatem reſpirandi, varices, ſi non in totum aufert, valde tamen minuit.

§. CCCLVII.

Quando femina abortum ſemel paſſa eſt,

idem malum efficaciſſime anteuertet, ſi ante id tempus ſanguinem ſibi curet detrahi.

§. CCCLVIII.

In pectoris plerisque morbis malum exacerbat ſanguinis abundantia, mitigat vero & minuit tempeſtiue & conſuetis temporibus repetita detractio.

§. CCCLVIIII.

In morbis ſubitis ſenſuum motusque vitia inferentibus vt apoplexia, paralyſi, horumque morborum metu efficaciſſime iuuat VS. curatorie larga facienda.

§. CCCLX.

Iſchuriam in valde repletis curari venæſectione, iam ſupra indicatum eſt.

§. CCCLXI.

Si quis ſemel iterumque a molimine morbi cuiusdam, tanto magis vero, ſi ab ipſo iam præſente morbo liberatus eſt, venæſectionis vſum continuare debet. Et ſi temporibus incommodis faciendam neceſſitas imperauerit, opera danda eſt, vt ſenſim ſenſimque vel anticipando, vel poſtponendo tempori electiuo propiores reddamur.

§. CCCLXII.

VSnis tempus conuenientiſſimum eſt circa æquinoctia, aut primos frondium ortus atque caſus: melius iudicatur luna decreſcente,

te, niſi apud feminas menſtrua periodus aliud ſuadeat, quippe in his vena ſecari debet menſtruo fluxu abſoluto.

§. CCCLXIII.

Ratione temporis, quo operatio inſtitui debet, parum opus eſt monere: plerumque matutinis horis adminiſtratur, forte vt ante noctem certius conſolidetur vulnuſculum, quoniam facilius crebriusque dormienti quam vigilanti fluxus recrudeſcit. Ieiunum omnino eſſe hominem nulla ratio poſtulat: cibis modo non ſit repletus. Ante ſectionem opera detur, vt ſanguis reddatur mobilis.

§. CCCLXIIII.

Circa tempus curatoriæ VSnis notari debet, quod in ſtatu morbi numquam proſit, melius in declinatione & principio inſtituatur: ſed exceptio eſt in hæmoptyſi ferociori, itemque in apoplexia & ſimilibus caſibus valde vrgentibus.

§. CCCLXV.

Quo loco ſanguis mitti debeat, haud abs re quæritur. Si vnica intentio ſit ſanguinem minuere, parum refert, quo loco emittas: ſed quum hæc raro ſola ſit ſine reſpectu ad deriuationem & reuulſionem, opera danda eſt, vt quantum fieri poteſt, partes remotiſſimæ eligantur.

§.CCCLXVI.

§. CCCLXVI.

In grauidis menſiumque nimio fluxu ſanguis mittitur ex brachio: ſi menſes inuitari debent, itemque vbi paſſionibus hyſtericis ſubiectæ mulieri ſanguis detrahendus eſt, deligendæ ſunt venæ pedis: ſecus ſi fiet, exponemus eas vomitus cruenti periculo, aut pathematibus flatulentis anotericis, ſuffocationi vterinæ &c.

§. CCCLXVII.

Aliquando proxime loco affecto ſanguinem extrahimus, vtique in angina, ſi prius ex brachio imminuendæ copiæ gratia ſanguis euocatus fuerit, raninæ cum fructu ſecantur.

§. CCCLXVIII.

His obſeruatis vlterior ſollicitudo de venis brachii pedisue peculiaribus eligendis omnino erit exigui momenti, quicquid veteres per contentiones magna volumina replentes inter ſe de eo diſputauerint.

§. CCCLXVIIII.

Vnica regula ſit, vt venam, quæ tutiſſime ſecari poteſt, eligendam chirurgo commendemus, nec medianæ illum adſtringamus, ſi non manifeſtum ſit absque periculo eam aperiri poſſe: multoque minus baſilicæ ſectionem vrgeamus, quæ ſubſtratam arteriam habet, adeoque cautiſſime tractari vult.

§. CCCLXX.

Similiter in pede res comparata eſt: ſumat chirurgus eam, quam certiſſime & tutiſ-

ſime putat poſſe ſecari, quæ tendinem nullum ſubiectum habeat, quæque ſatis magna ſit: quin ſi nulla in dorſo pedis idonea adſit, aut illud tumore diſtentum ſit, licebit in ſura aliquam eligere.

§. CCCLXXI.

Circa venæſectionem in pede duplici modo peccari ſolet; primo ſi pes nimis diu in aqua calida relinquatur, vt cutis inde nimis intumeſcat, dolorifica redditur inciſio: deinde ſi pes ex aqua, ſincerum ſanguinem excipiendi cauſa emittitur, ſubinde fluxus intercipitur, ſitu cutis & venæ mutato, aut ab alteratione aëris ad ſenſum frigidioris quam aqua fuerat.

§. CCCLXXII.

Etiam illud obſeruandum oſt, ſi cicatrices prioris ſectionis reſecantur & plus dolorum creari, & ſanguinis parciorem fluxum exſpectandum eſſe, quoniam cicatrix diametrum venæ anguſtiorem reddit.

§. CCCLXXIII.

Circa inſtrumentum ſectioni adhibendum, facile apparet, lanceolam cuiuis venæ commodius adhiberi quam vel balneatorium inſtrumentum, quod digiti percuſſione impellitur, vel machinula elatere inſtructa (der Schnepper): vtrumque enim inſtrumentum tantum in vna directione deorſum tendit, adeoque facile venam ex vtroque latere pertundit, ſubiectumque tendinem vel arteriam lædit, quæ

res

res vtraque magni eſt periculi: quum lanceola ſuperficiariam inciſionem ad lubitum facere liceat, &, quoniam ancipitem habet aciem, attollendo potiſſima apertura peragi poteſt, quod neſcio cur aliqui chirurgiæ auctores reprehendant, quum cautiſſimi & feliciſſimi operatores hanc vnam habeant encheireſin.

§. CCCLXXIIII.

Etiam hoc notari circa inſtrumentum debet, ne illo, quo homini morbo contagioſo laboranti ſanguis miſſus eſt, in alio vtatur chirurgus, niſi probe deterſo & repurgato: forte vna ex primariis cauſis eſt, cur peſtilentia graſſante VS. multis damno exiſtit, inſtrumenti impuritas, & ipſius contagii veſtibus chirurgi cum infectis conuerſati inhærentis, promta communicatio. Hæc vero inſtrumenti repurgatio ſufficiens difficilius in machinula, quam ſimplici cultello ſeu lanceola impetratur.

§. CCCLXXV.

Poſſemus nunc dimittere omnem de VSne tractationem, niſi ſupereſſet maxime vexata quæſtio de vſu eius in febrium curatione: de qua paucas regulas liceat adiicere.

§. CCCLXXVI.

Ante omnia tenenda erit diſtinctio inter id, quod fieri debet ſcopo curatiuo, & id, quod facimus obſtaculi remouendi fine, in certis

tantum

tantum indiuiduis, vbi id impedimentum felicis curationis obſeruatur.

§. CCCLXXVII.

Vnica fortaſſis febris continens, ſeu ſynocha ſimplex, illa eſt, quæ ſanguinis euacuationem ſcopo curatorio poſtulat, primis ſtatim diebus inſtituendam.

§. CCCLXXVIII.

Ex febribus inflammatoriis pleuritis & peripneumonia eandem ſtatim ab initio poſtulant, ſi ſanguinis abundantia aut conſuetæ euacuationis neglectus concurrant, aut morbus eo tempore ingruat, quo venam ſecare conſueuimus.

§. CCCLVIIII.

In febribus vulnerariis VS. plerumque requiritur, conſultumque eſt in caſibus, vbi in euentum mortis lis apud iudicem præuideri poteſt, eam non negligere, ne rabulis obtrectandi anſam præbeamus: niſi hæmorrhagia enormis prægreſſa prohibeat.

§. CCCLXXX.

In febrium exanthematicarum initiis, vbi ſubiecta maxime repleta corripiunt, venæſectionem maxime tolerant variolæ, adeo, vt in adultioribus & plethoricis vix ſine hac ſalus promitti poſſit: idem de morbillis eſto iudicium.

§. CCCLXXXI.

Quid in peſtilentia poſſit VS. inde a ſæculi vnius decurſu maxime controuerſum eſt:

qui

qui abſolute eam damnant, videntur vel præiudiciis occupati temere aliorum dicta repetere, vel non ſatis ſibi in obſeruando cauiſſe a fallaciis non cauſæ vt cauſæ. Satis de eo conuinci poſſumus, ſi vel nouiſſimas de peſtilentia Polonica obſeruationes attente legamus.

Conf. Diſſ. de Sanguinis miſſione in peſtilentia.

§. CCCLXXXII.

Idem eſto de omnibus malignis iudicium. Quæ ſpecialiores ſunt cautelæ & regulæ ad damnum certius præcauendum & auertendum, praxi ſpeciali merito reſeruatur.

Subſectio III.

DE SCARIFICATIONE.

§. CCCLXXXIII.

Scarificatio eſt artificioſa ſanguinis e corporis ſuperficie euacuatio, per inciſuras plures exiguas in cute factas, vel impoſita cucurbitula, vel absque illa.

§. CCCLXXXIIII.

Hæc operatio Gallis hodie non ita cognita, vt ex ſcriptis Dionis colligere licet, apud Germanos, ab vltima antiquitate, hæret & po-

tiſſimum exercetur. conf. Hippocr. de me-
dic. §. 6. 7.

§. CCCLXXXV.

Et quanquam Proſper Alpinus videtur in medicina Aegyptiorum perſuadere, priſcos aliam tenuiſſe ſcarificandi rationem: hoc tamen non obeſt, quin credamus, eundem, quo nos hodie vtimur, modum Hippocratis æuo obtinuiſſe.

§. CCCLXXXVI.

Ex eodem Proſpero Alpino diſcimus, apud Aegyptios præter ordinariam apud hanc gentem ſurarum ſcarificationem etiam gingiuas & nares aliquando ſcarificari.

§. CCCLXXXVII.

Inſuper alius ſubtilior ſcarificandi modus hoc æuo in Gallia innotuit, in ipſo ſcilicet oculo, enchireſin commendante & docente celebri ophthalmiatro Woolhuſio, quam diſcipuli potius oſtentant, quam edocent conf. Act. medic. Berolin. Vol. IV. pag. 10 D. D. Mauchart. in diſſ. inaug. de hern. incarcerata pag. 21. & coroll. 4. Sed hoc ipſo anno idem D. D. Mauchartus, nunc Profeſſor Tubingenſis, ſcarificationem hanc totam peculiari diſſertatione deſcripſit & in lucem edidit.

§. CCCLXXXVIII.

Quum ſcarificationis, vt apud nos in vi

el

eſt, modus notiſſimus ſit, nihil de eo attinet dicere; ſed tantum adnotare quædam volumus, quæ vel ad vſum rectum, vel ad euitandos errores pertinere videntur.

§. CCCLXXXVIIII.

Conuenit ſcarificatio, potiſſimum hominibus ſucculentioribus, phlegmatico-ſanguineis, humorum decubitibus particularibus vexatis, vt tinnitu aurium, viſus hebetatione ab oculorum pituita, varis faciei, crebra parotidum intumeſcentia, doloribus capitis tendentibus & grauatiuis, nec non ſcabie, furunculis, purpuræ vrticatæ, aliisque exanthematibus ſine febre affligentibus.

§. CCCXC.

Specialius circa locum affectum ſuadetur, ſed mox ab initio adminiſtranda, in morſibus animalium venenatorum aut rabioſorum, ſub ipſo læſionis initio: nec non in omni vulnere venenato inſtrumento facto.

§. CCCXCI.

Specialiſſime commendatur & a multis cum fructu adhibetur ſcarificationis quædam ſpecies in arthritidis ſpeciebus, in ipſo puncto nouilunii inſtituenda & quouis menſe recurrente repetenda, absque cucurbitula.

§. CCCXCII.

In ſphacelatis etiam membris ſcarificati ſine cucurbitulis, ſed profundior, ſuadetur adhibetur cum inſigni fructu, vt ichori effl xus, mediciuis ingrediendi locus paretur: c ſcopo iam Ambroſii Paræi ætate inuentu fuit inſtrumentum multis ſimul faciendis i ciſionibus aptum, ipſaque re nihil a mac nula, quæ nunc frequentatur, diuerſum.

§. CCCXCIII.

Inſtrumentum illud nouiſſime introd ctum non caret incommodis. Primo en manifeſtum eſt, quod non omnia foram æque profunda fiant, quum cucurbitula culum, quem complexa fuit, eleuet, vt m poſſit plano imponi: ſecundo non facile purgari poteſt: adeoque metui ab ipſo c tagia morborum lymphaticorum, magis iam quam ab ordinario, quod ſingula fo mina ferit, iure debent.

§. CCCXCIIII.

Non autem vanum hunc eſſe metum, ue inſtrumento ſcarificatorio, ſiue cucu tulis, ſiue ſpongiis tribuendum ſit, multæ ſeruationes confirmarunt.

§. CCCXCV.

Nec raro inſignis balneatorum malitia auct

auctoribus annotata, a magiſtratu punienda fuit: quare non iniuſte metuimus a balneatorio apparatu noxas.

§. CCCXCVI.

Quod ad locum ſcarificationi commodum attinet, frequentiſſime quidem dorſum & humeri pars carnoſior expetuntur, vt & ſupra genua: ſed nil prohibet nos etiam ab aliis regionibus carnoſis.

§. CCCXCVII.

Quantitas ſanguinis non vbique eadem detrahitur. Quid in his terris fiat, ſatis notum eſſe poteſt: Saxones longe plures cucurbitulas admouent, raroque pauciores ſex vel octo; quibus non minor ſanguinis quantitas, quam per VSnem, detrahitur.

§. CCCXCVIII.

Quo magis ſanguinem prægreſſo motu, potuque diluente fluidum reddidimus, frictionemque, (quod vario intuitu laudabile eſt,) præmiſimus, eo melius ſanguis extrahetur: ſecus ſi fiat, ichoroſum quid loturæ carnium inſtar prodibit, nec ſcopum huius euacuationis adſequemur.

§. CCCXCVIIII.

Cautio ſit, ne chirurgo permittamus nimi-

am illam feſtinationem, qua ducti & neceſſa-
riam frictionem intermittunt, aut perfunctο-
rie adminiſtrant, & cucurbitulas detrahunt
antequam ſanguis fluere omnino deſiit: ex
quo dolorifica ſæpe inflammatio & ſuppura-
tio conſequitur.

§. CCCC.

Tali ſtatu operæ pretium faciunt linteol
℣ camphorato imbuta. Si vero putredi-
noſa corruptio & ſordidum vlcus remaneat,
ſignum fere eſt maleficii a balneatore perpe-
trati: mihique notus eſt homo ſic male mu-
ctatus, cui poſt multa in vanum adhibita o-
mnem illum locum ad viuum exurere opu
fuit.

Subſectio IV.

DE

EVACVATIONE SANGVINIS PER
HIRVDINES.

§. CCCCI.

Recenſitis modis ſanguinem euacuandi, v-
tiliſſime adiungitur ille per *hirudines* ſe-
ſanguiſugas, ſatis nota animalcula, quippe
quæ non ſolum copioſe ſanguinem, absque
vllo dolore, detrahunt, verum etiam locis ap-
plica-

plicari poſſunt, vbi nec venæſectionem, nec ſcarificationem adhibere licet.

§. CCCCII.

In noſtris regionibus non adeo neceſſaria videtur illa admonitio, forte in calidioribus non ſuperuacua, vt caueantur malignæ & venenoſæ: ſufficit, ſi ex riuulis aut fluuiis captæ in aquam puram deferantur, ibique per aliquot dies aſſeruentur in pyxide perforata, vt ad vſum adhibitæ promtius adhæreſcant ſanguinemque ſugant.

§. CCCCIII.

Si diutius aſſeruari debent, nutriendæ ſunt aquæ crebra permutatione, cui ſubinde fruſtulum ſanguinis coagulati, aut hepatis crudi immittatur. Hoc pacto per integrum annum in conclaui temperate calido viuent, vt ſemper ad manus ſint, vbicunque promtus vſus requiritur.

§. CCCCIIII.

In genere ſeruiunt ſanguinis abundantiæ imminuendæ: ſed ſpecialius reſeruantur euacuando illi in ipſo loco affecto, vt ſunt obſeruationes curatorum multorum in cute affectuum, præſertim in capite, a ſanguiſugarum repetita applicatione. Sic guttam roſaceam, dolores hemicranodes, ophthalmias, linguæ intumeſcentiam, anginodem, dolores dentium rheumaticos curatos legimus, ſi vel in ipſo

loco affecto, vel proximo fuere adhibitæ.

§. CCCCV.

Memini matronæ iam valde ſenis, cui ex tractu Nicrano admodum prouecta iam ætate in Saxoniam, vbi plures filii ſedem fixam inuenerant, ob bellicas turbas fugere opus fuerat. Huic ſiue ex cæli & victus mutatione, ſiue ipſius ſenii culpa incredibilis pruritus circa partes genitales acciderat, cum furfuracea ſummæ cutis deſquammatione, qua ſic male habebatur, vt vitam prorſus iniucundam haberet huic malum omnino abſtulerunt hirudines multæ, ipſi loco affecto identidem applicatæ, ex conſilio illuſtris Stahlii.

§. CCCCVI.

Sed ſpecialiſſime expetuntur & ſaluberrime adhibentur ad ſedis vitia hæmorrhoidalia, ipſarumque hæmorrhoidum fluxum, ſi cum moleſtia exitum quærat, inuitandum & promouendum; aut, ſi ſuppreſſus ſit, reuocandum.

§. CCCCVII.

Deinde etiam ad affectus hyſterico-hypochondriaco-melancholicos, vtpote a fluxu hæmorrhoidum menſiumque legitimo feliciſſime & certiſſime curandos, cum ſumma boni euentus fiducia optime, tamquam vicaria euacuatio, adhibentur.

§. CCCCVIII.

§. CCCCVIII.

Nec minus leuant quartana pertinaci, lienis inflatione, mania laborantes, vt & vertigino-ſos & in periculo apoplexiæ conſtitutos.

§. CCCCVIIII.

Si ad vſum vocandæ ſunt, pars illa, cui ad-mouere placet, probe a ſordibus, præſertim ſudoris ſalſedine debet eſſe repurgata: tum ſi famelicæ ſint, ſine mora aculeos infigunt & ſugere incipiunt: ſi vero pigrentur, iuuat ali-quantulum ſanguinis illinire, aut cutim ſuper-ficiario vulnere incidere, vt pauxillum ſan-guinis exeat: aut lac illinire aut ſaccharum inſpergere.

§. CCCCX.

Oportet illas linteo molli apprehendere,& ſic ad partem admouere. Si vero locus ſit, vbi in proximo eſt cauitas, quam ſubire poſ-ſet, includatur vel cucurbitulæ vitreæ, vel ſi-phoni vitreo oblongo, vel arundini artificio-ſe fiſſæ, vel ſecundum longitudinem indi poſſit.

§. CCCCXI.

Pro ea quantitate ſanguinis, quam detra-ctam optamus, numerus ſanguiſugarum aſſu-mendus eſt. Vna ordinariam magnitudinem adepta circiter vnciam vnam detrahit.

§. CCCCXII.

Saturatæ & repletæ decidunt. Si vero ci-

tius remotas volumus, vel pauxillum ſalis madefacti, vel cineris dorſo iniiciamus, vel fumum tabaci adflemus, vel cinerem eiusdem inſpergamus.

§. CCCCXIII.

Sunt, qui ingrati compenſatores præſtitii beneficii, caudas forfice præcidunt, vt ſanguis, quem hauſerunt, effluat: ſed melius fuerit prædicta ratione eas depellere: quoniam illæ, quæ ſemel iterumque adhibitæ fuerunt, quaſi dociliores redditæ, promtius adhærent & ſanguinem magis ſitiunt.

§. CCCCXIIII.

Si remotis iam ſanguiſugis diutius ſanguis fluat, vaſculum aliquod notabile pertuſum ab iis fuiſſe exiſtimandum eſt. Conſultumque videtur, fluxum aliquantiſper tolerare, vulnusque ſpongia ex aqua calida expreſſa fouere: deinde, ſi eo opus videtur, impoſito ſplenio ex VRſſimo facile fluxus compeſcetur: quo nondum ſufficiente debita deligatio rem omnem conficiet.

§. CCCCXV.

Sunt, qui vulnuſculum lauare iubent aqua ⊖ſa, vel vino, ad corrigendam vel auferendam, ſi qua illata fuerit, venenoſitatem. Hoc etſi plerumque ſuperfluum, nocere tamen neutiquam poterit: ſaltem locum inueniet, ſi cui per aquas paludoſas ire coacto hirudines

nes inuito adhæſerint, non ſatis ab omni ſuſpicione prauitatis immunes.

§. CCCCXVI.

Si ad grauiora mala adhibentur, conſultum fuerit, vnis hirudinibus rem totam non permittere, ſed ad vſum earum venire debemus, generalibus præmiſſis: deinde etiam ſubiungere, quæ arci cauſæ expugnandæ idonea iudicamus.

§. CCCCXVII.

Denique addimus, ſi ſanguiſuga nobis inuitis ſubingreſſa inteſtinum, nares, aliumue receſſum fuerit, nihil certius celeriusque ſuccurrere aqua ſalſa iniecta.

Subſectio V.

DE

EVACVATIONIBVS SANGVINIS NATVRALIBVS PROMOVENDIS.

conf. §. 331.

§. CCCCXVIII.

Hactenus *chirurgica præſidia*, quibus ſanguinis onus excutitur, perſequuti ſumus: nunc venimus ad rationem per *medicamenta* promouendi ſanguinis naturales euacuatio-

cuationes, ſi vel tardius, quam optamus, erumpunt, vel imminute fluunt.

§. CCCCXVIIII.

Vocamus autem naturales, quæ bonis rebus noſtris per nares, venas ſedis & locos muliebres effluunt, adeoque medicam ſubinde opem poſtulant, ſi vel imminutæ vel omnino ſuppreſſæ fuerunt, vel cum damno valetudinis retinentur.

§. CCCCXX.

Hic ante omnia notari debet, non fruſtra dici tales euacuationes naturales, quippe in rectiſſime valentibus placide ſponteque ſuo tempore contingunt, nec opem medici exſpectant: quare regula ſit circa tales euacuationes, ne vmquam naturam cogamus, aut inuitæ eiusmodi euacuationes obtrudamus: quin nec manum admoueamus, niſi aperte conſtet, euacuationes eiusmodi emanere propter aliquod impedimentum ſonticum.

§. CCCCXXI.

Probe itaque memoria teneri debent phyſiologiæ præcepta, quæ quo tempore, quibus ſubiectis tales euacuationes conueniant, edocent; & per quas vias, quo molimine, natura euacuationem molitur, commemorant: tum ſi ætas, motusque naturæ conſpicui conſpirent, ad agendum medicus procedit.

§.CCCCXXII.

§. CCCCXXII.

Sed ante omnia conſiderat, an poſitiuis auxiliis opus ſit, an vero priuatiua, i. e. quæ cauſam remouent, ſufficiant: ſaltem ab his incipiendum eſt, ſi modo tempus permittat.

§. CCCCXXIII.

Cauſæ iſtæ vel in fluidis reſident, vel in ſolidis partibus, vel ſimul in vtrisque.

§. CCCCXXIIII.

Fluidæ ad motum per minima vaſa inepta ſunt, vel ob muciditatem & ſpiſſitudinem: vel ob nimiam expanſionem, qua durante ſumma repletio, ad minimum virtualiter, adeſſe cenſenda eſt.

§. CCCCXXV.

Solidæ nimis flaccidæ tonoque naturali carentes potentiſſime ſufflaminant ſanguinis ſpontaneas eruptiones, ad quas opus eſt vegeta propreſſione & promotione eius per ſpongioſo-poroſas vias illas, per quas exitum quærere & inuenire debet.

§. CCCCXXVI.

Ex vtrarumque ſimul vitio pendet in ſtatu cachectico, ſub quo ſimul ſolidarum partium robur naturale deficit, quia non irrigantur bonis fluidis: & viciſſim fluida magis magisque corrumpuntur, quia nec attenuantur, nec incaleſcunt, quantum ſatis eſt.

§. CCCCXXVII.

Tali rerum ſtatu nonniſi imprudentiſſimus dabit poſitiua remedia: quum ſatis patiens humorum emendatio neceſſario ſit præmittenda.

§. CCCCXXVIII.

Sæpe ſuppreſſio euacuationem debetur, ſi primam originem ſpectes, alicui mutationi circa res non naturales: vt in potu, ſi quis loco vini cereuiſiam bibat: in aëre, ſi quis ex regione altiori & montana in nebuloſam humidam delatus ſit, aut ſubterranea loca inhabitare cœperit.

§. CCCCXXVIIII.

Talia in indiuiduis recte examinanda ſunt, & ſi inueniantur peccare, remoueri debent, quantum fieri poteſt: hocque facto, ſi nondum natura obtemperet, poſitiua modeſte adhibere licebit.

§. CCCCXXX.

Hæc in genere dicta ſufficiant. Nunc ſpecialius videbimus, quid factu opus ſit in ſingulis ſpeciebus.

Subſectio VI.

DE HAEMORRHAGIA NARIVM PROMOVENDA.

§. CCCCXXXI.

Hanc curam ſuſcipere non raro cogimur in ſubiectis ſanguineo-phlegmaticis, quibus non adeo facile per nares ſanguis erumpit, quum interim congeſtionibus catarrhalibus, immo affectibus rheumaticis, dolorum circa dentes, aures, oculos moleſtiis crebro vexentur, quin tumores parotidum, vuulæ fauciumque crebro experiantur: aliquando, accedente febre, ſomnolenti fere ſemper videantur: aut ſi prorſus maligna ſit febris, comate, caroque, vel phrenitide corripiantur.

§. CCCCXXXII.

Poſt auxilia priuatiua, ſi tempus ea permittat, poſitiue iuuamus illis, quæ ſanguinem incidunt & attenuant; ſunt vero talia ſic dicta alexipharmaca: vt radices angelicæ, ari, pimpinell. vincetox. herb. card. bened. ex laxantibus & aperientibus addantur herb. centaur.min. fibr.elleb.nigri.fol. ſenn. rad. rhabarb. ex quibus concinnari poteſt infuſum cum vini & ▽æ ana, cuius vſui aliquandiu inſiſti debet: quo fiet, vt vel moleſtiæ illæ a molientibus hæmorrhagiis auferantur per ali-

quam

quam ſpeciem deriuationis, vel euentus hæmorrhagiæ moliminis tædia auferat.

§. CCCCXXXIII.

Sed raro tempus permittit tam longam curationem, aut, ſi permitteret, raro ſaluis adhuc rebus animus eo appellitur, vt, præſertim progreſſa ætate, qua ceſſare narium euacuatio ſolet, ſubſtituatur vicaria euacuatio, vnde graues cephalalgiæ cum febribus ſubinde enaſcuntur, præſertim in regionibus & conſtitutionibus calidioribus, quibus non raro deliria grauia accedunt: vt neceſſitate ſuadente ex naribus ſanguini effluxus quærendus ſit, vel actuali ſcarificatione in foraminis vtriusque limbo: vel intruſo faſciculo in penicillum conformato ex ſetis porcinis, vel, quod nonnulli ſolent, ſtraminis culmo anterius fiſſo & non nimis modeſte prouideque intruſo.

§. CCCCXXXIIII.

Aeſtate non raro operæ pretium facit folium recens millefolii in turundæ formam complicatum & naribus intruſum.

§. CCCCXXXV.

Sed cauendum eſt, ne quid nimis fiat eiusmodi externis rudius vſurpatis: quippe non ſemel nimiæ hæmorrhagiæ incompeſcibiles viſæ ſunt ex naribus prodire.

§. CCCCXXXVI.

Quo minore igitur metu opus ſit, poſſet vena

vena in brachio prius ſecari, antequam vnum ex dictis experiri aggrediamur: tranquillis autem deinde rebus deliberandum eſt, an malimus methodo diluente & deriuatione ſupra laudata vti, an vero mox naturam vicariæ euacuationi adſuefacere.

Subſectio VII.

DE EVACVATIONE SANGVINIS MENSTRVI PER MEDICAMENTA PROMOVENDA.

§. CCCCXXXVII.

Medicamenta talia vocantur *emmenagôga*, latiorique ſenſu huc referuntur etiam, quæ ſanguinem lochiorum euocant, quin ipſum etiam partum & ſecundinas pellunt. Et quamquam, ſi recte loqui volumus, nullum detur tale medicamentum, quod ſpecifice ſanguinem ex his locis pellat, ſed omnia tantum in genere maſſam & indifferenter afficiant: attamen ſcopum certis medicamentis tempeſtiue datis & ſubordinatis attingere licet, vnde nomen ſatis iuſte retinent.

§. CCCCXXXVIII.

Non multis indicabo generalia, quæ ſanguinem fluidiorem ſpirituoſioremque red-

dendo iuuant, quorum vſus merito præmittitur: pertinent eo omnia, quæ diluunt, & acrimoniam quamcunque vel deſtruunt vel educunt: tum quæ concoctionem & chylificationem iuuant, ſicque organa vitalia æque ac naturalia ad fungendum ſuis partibus quam optime comparant: ſed tantum ea, quæ propius ad rem pertinent, ſecundum claſſes ſuas recenſebo.

§. CCCCXXXVIIII.

Efficaciſſima in hoc genere ſunt, quæ principio ſulphureo expanſiuo ſuo ſanguinem ſubeunt, illumque turgere, i. e. expandi faciunt, non momentanee, ſed ſucceſſiue vt ſanguis tunicam vteri aut vaginæ internam altius ſubeat. Danda autem ſunt præciſe circa id tempus, quo natura corporis humores ad hæc loca deponere conſueuit, ſeque negotium hoc agitare motibus ſpaſticis in lumborum regione perceptis teſtatur. Eo enim tempore fere quicquid ſpirituoſum eſt, vt vinum generoſum, præſertim Hungaricum, ſpiritus per fermentationem parati &c. fiunt emmenagoga, quum antea indifferenter licuerit adſumere.

§. CCCCXL.

Huius claſſis potiora ſunt angelica, carlina, leuiſticum, zedoaria, pimpinell. alb. meum, imperatoria, herb. artemiſiæ rubr. calamintha montan. marrubii alb. matric. hormin. pulegium, meliſſa, ruta, ſabina. laurifolia & baccæ

baccæ, nec non bacc. iunip. Fl. calendulæ, cheiri, ſchœnanthi. crocus orient. Ex ſuccis aloe, myrrha, balſamus de Meccha & Peruuian. aromata, vt cinnamomum, caſſia, anthophylli, cardamomum. Ex vegetabilibus parata vinum, ∽ vini, aliique per fermentationem parati.

§. CCCCXLI.

Ex animalibus teſticulus equi pptus, hepar anguillæ, caſtoreum, quin moſchus pro illis, quæ ferre odorem poſſunt, ∽ C. C. volatilis.

§. CCCCXLII.

Ex mineralium claſſe hoc nomine huc referri ex parte poteſt ſuccinum, eiusque præparata: tum ſulphur & ex ſulphure facta balſama, quæ haud mediocriter expandunt & hoc nomine etiam æthiops mineralis.

§. CCCCXLIII.

Compoſitorum & præparatorum magna proſtat ſylua, ſed præ ceteris commendari merentur trochiſci de myrrha Elixir PP. dulce, Elixir vterin. El. aperit. Clauderi. Eſſ. myrrh. cum ∽♀riſato, ⊖ia 🜂ia ☍ſa. Pil. Beccherianæ, Stahlianæ, quamuis hæ vltimæ leuiſſimum momentum expanſionis adferunt, plus roborando & ſanguinem inſtaurando, organaque omnia reſerando videntur prodeſſe.

§. CCCCXLIIII.

Iam expoſitæ claſſi non male conueniunt

 aliqua,

aliqua, ſulphur expanſiuum cum principio cathartico ⊖ino coniunctum habentia, vt bryonia, & rhabarbarum (& vtriusque aqua ♁ta) elleborus niger hisque leniora gum. ammoniacum, ſagapenum: itemque in compoſitis medicinis iuſtam temperiem habentia purgantis & expanſiui principii, quod præcipue in pilulis eiusmodi, quæ muliebribus affectibus prodeſſe debent, obſeruandum puto.

§. CCCCXLV.

Tertia claſſis habet in genere ad diureticam excretionem diſponentia, quæ vero expanſiuis modo dictis coniuncta, aut vel ſola tempore, quo illam euacuationem natura molitur, exhibita, euidenter proſunt, vt borrax, ℞ ♁ij, ♀ri acris, liquor ⊕i fixi. ∀ foliata ♀i eiusque liquamen, quin ipſa vrina ſani hominis recens pota, ⊖✱cum.

§. CCCCXLVI.

Quarta claſſis continet ea, quæ roborante principio potiſſimum agunt, quo flacciditatem fibrarum tollunt & emendant. Pertinent huc aliqua ex priori claſſe aromatica, vt galanga, zedoaria, cinnamomum: ſed præter hæc quaſi ſpecifica cenſentur rubia tinctorum, ariſtolochia rotunda & longa vera (cuius potiſſima virtus eſt in roborante principio, penetranti ⊖ino aperitiuo iuncto) ex mine-

mineralibus vtramque paginam hic faciunt ♂ialia, tum & ℞ alcalinæ ∽ui c. c. iunctæ, quæ ſub hac forma fiunt tonicæ.

§. CCCCXLVII.

Denique externa hunc in finem adhibentur, vt menſes in ordinem redigantur, taliaque ſunt vel deriuatoria ad partes inferiores, vt pediluuia, inſeſſus, venæſectio, ſanguiſugæ, ſcarificatio ſupra genua; vel quæ roborando conſtringendoque in proximo hærentem ſanguinem quaſi exprimant: vt ſunt ſuffumigationes, admiſſi vapores, præcipue inſtrumentum Glauberianum, per quod ∽⊖✱ci vapor immediate in vaginam admittitur, vel vapor emmenagogus Hartmanni apud Fullerum deſcriptus.

§. CCCCXLVIII.

Vel denique adhibentur acria irritatiua ex ſpeciebus acribus purgantibus conflata, inque peſſi formam compoſita: qualia apud Hippocratem crebro commemorantur.

§. CCCCXLVIIII.

Atque hæc eſt ſylua remediorum, vna cum filo dirigente. Circa adhibendi methodum ſollicite cauendum eſt, ne generalibus neglectis a ſpecificis curationem ordiamur: vt a leniſſimis ad fortiora progrediamur:

mur: actiua remedia numquam demus, niſi vbi ſumus, quantum fieri id poteſt, certi, nihil eſſe metuendum in perſona, quam curandam ſuſcepimus, ratione grauiditatis. Specialiora non ſunt huius loci, ſed ad praxin ſpecialem pertinent.

Subſectio VIII.

DE LOCHIIS, SECVNDINIS, PARTVQVE PELLENDIS.

§. CCCCL.

Eadem remedia, quæ ſunt emmenagoga, ſunt etiam ad *dyſtociam*, quæ ſingula in titulo expoſita vitia comprehendit.

§. CCCCLI.

Quemadmodum inter mille partus vix vnus, niſi forte culpa inſigni matris vel adſtantium ita difficilis exiſtit, vt vera ſit neceſſitas medicinarum: ita inter multos vere difficiles partus pauciſſimi ſane medicamentis vel indigent, vel emendantur.

§. CCCCLII.

Vnicus enim caſus, quo locum inuenire poſſunt, is eſt, ſi conatus naturales ad partum excludendum vel omnino deficiant, vel iuſto

ſto ſint languidiores: fœtus tamen ad exitum ſatis recte ſit diſpoſitus. Tali caſu licet medicinam exhibere.

§. CCCCLIII.

Cauendum autem eſt a nimis draſticis, quippe ſi ex voto excluſionem iuuerint alterum fere horum euenit, vt vel lochia nimis fluant, vel omnino ſupprimantur.

§. CCCCLIIII.

Pillulæ veræ Beccherianæ & Stahlianæ ſunt ex leniſſimis, attamen plerumque ſufficiunt: promtius autem operantur, ſi ſolutæ exhibeantur. Solui poſſunt in ▽ pulegii & ♎us meliſſ. vel lilior. conuallium à ℥j. quod remedium aliquibus in locis tantam fiduciam nactum eſt, vt puerperæ, quamprimum aqua parturitionis effluxit, & obſtetrices ſitum legitimum denunciarunt, id adſumant, ſicque partu facile defungantur.

§. CCCCLV.

Si ad manus illæ non ſint, ſuppetunt ♀ ad dyſtociam Auguſt. vel, ſi compoſitio hæc non arrideat, concinnari formula poterit ex claſſe expandentium & diureticorum. Nonnumquam dolores nimii felicem partus exitum remorantur, eo, quod tranſitus non ſatis liber reddi poteſt: hoc rerum ſtatu a pel-

lentibus abſtineatur: denturque pilulæ B. Mauritii Hoffmanni, quæ ita parantur: ℞ Theriac. Andr. ℥iij ♀ caſſiæ lign. glycyrrh. à ℨß M. f. pilul. cxx. doſ. x.

§. CCCCLVI.

In ſecundinarum retentione, poſt fœtus felicem excluſionem, plus omnino manu obſtetricia, quam medicamentis efficitur. Sed incidunt ſubinde caſus, vbi ob fibrarum vterinarum nimis magnam ſtricturam neque manus admittitur. Tali caſu medicus habet, quod agat. Nam quum ordinarie ſanguis ſatis fluat, per emmenagoga pellentia, illum vlterius expandere periculoſum videtur tentamen: quare tutiſſimum eſt, tali caſu violenter nihil omnino, neque medicamentis neque manu, moliri, ſed rem naturæ in ſolidum committere. Pulcra de eo ex obſeruatione & experientia annorum plus quam quadraginta monet Frid. Ruyſchius, communibus muliercularum plurimorumque medicorum ſententiis, haud vero rationi, repugnantia. vid. Aduerſar. anatom. dec. II. obſ. vltima.

§. CCCCLVII.

Circa lochiorum fluxum obſeruari debet, an omnino ſuppreſſus ſit, an parcius & imminutius fluat. Vltimum hoc adeo terrere non debet, ſi femina non ſit plethorica, men-

ſtruam-

ſtruamque euacuationem parciorem habuerit, & nihil graue patiatur.

§. CCCCLVIII.

Si vero aliquis error circa res non naturales fluxum ſuppreſſerit, vt terror vehemens, iracundia grauior, refrigeratio inſignis, pellentium medicinarum abuſus (§. 453.): non decet oleum addere camino, id eſt, medicinas ſanguinem magis vel expandentes, vel fortius commouentes ſuppeditare: ſed potius blandiſſimis antiſpasmodicis conſtrictiones reſoluere, tum diapnoicis ad peripheriam amandare.

§. CCCCLVIIII.

Hoc facto leniſſimum emmenagogum, vt ſunt pilulæ Beccherianæ, aut antipeſtilentiales, adhibeantur. Quamdiu nondum febris emicat, eſſ. Succini ſine alcali parata cum quarta parte eſſ. croci vtiliſſimam fert opem.

§. CCCCLX.

Si inſignis ſit plethora V. S. locum inuenit, & remediis omnibus præſtat. Sæpe etiam clyſter carminatiuus, cui ſabina incocta ſit, operæ fecit inſigne pretium.

§. CCCCLXI.

In imminuto fluxu locum inuenit modo

 laudata

laudata eſſentia ſuccini cum eſſ. myrrhæ coniuncta, & tertia parte eſſ. Croci. Etiam croci parciſſimus vſus in iuſculis, nec non vini generoſi medicus vſus ſpem & exſpectationem ſæpe ſuperant. ℞ eſſ. myrrh. ~ theriac. camph. à ℥j. M d. S. 36. Tropfen, eſt remedium D. D. Gœckelii, Senioris.

Subſectio VIIII.

DE

EVACVATIONE PER HÆMORRHOIDES PROMOVENDA.

§. CCCCLXII.

Promotio huius excretionis vel inſtituenda eſt in ſubiecto, cui numquam antea fluxerunt, attamen vbi veroſimillimum eſt grauium moliminum, præſentaneas noxas inferentium, grauioresque minantium, non alium feliciorem fore finem, quam ſi fluxus hic eueniat: vel ſuſcipitur in ſubiectis fluxum iam aliquoties bonis rebus ſuis expertis, nunc vero hoc Aſclepiaſmo deſtitutis.

§. CCCCLXIII.

Priori caſu duplex eſt deliberatio: 1) an vera ſit neceſſitas, aut ſaltem operæ pretium facturi ſimus hac euacuatione procuranda: de facto enim manifeſtum eſt, quod a multis

mul-

multum in hoc negotio peccetur, qui cuiuis atoniæ viſcerum aut flatulentiæ, vitæ ſedentariæ admodum familiari, abſolute mederi cupiunt hæmorrhoidali fluxu prouocato, inque eo ſibi vnice placent, adeo vt grandi ſupercilio præ ſe contemnant omnes non æque intempeſtiue officioſos.

§. CCCCLXIIII.

Vbi itaque ætas virilis, aut ſenio iam propinqua, vegetis adhuc viribus, temperamentum ſanguineo-cholericum, vel ſanguineo-melancholicum, diæta plena conſpirant, iamque aliquoties cum excrementis ſtriæ ſanguineæ prodire viſæ ſunt; præcipue autem, vbi diſpoſitio hereditaria adeſſe cognoſcitur, licebit omnino, vbi ex dolore fixo tamquam claui infixi inteſtino recto ſecundum longitudinem excurrente molimina efficacia adeſſe intelliguntur, adiuuare conamen naturæ tutiſſimis remediis infra deſcribendis.

§. CCCCLXV.

Tanto magis, ſi iam ſemel iterum hic fluxus cum euphoria proceſſit. Aut vbi ſubiectum crebro externis hæmorrhoidibus tentatum fuit, iuuabit blandiſſima methodo tentare, vt naturam ad internas & fluentes adſueſcamus.

§. CCCCLXVI.

Neutiquam vero aliquid admittendum eſt, quo

quo hic fluxus ſponte eueniens ſufflaminetur: quum reuera talis multorum magnorumque morborum ſit medicina: vtique eo magis conſeruando iſti ſtudendum eſt, ſi poſt hypochondriaca, melancholicaque pathemata, maniam, quartanam diuturnam eruperit.

§. CCCCLXVII.

Quo vero pacto promoueri debeat, deinceps diſpiciendum erit. Corrigatur ſpiſſitudo ſanguinis: excedens plethora minuatur VSne in pede: ebullitio nimia contemperetur præcipitantibus, ⏀oſis & acidulis.

§. CCCCLXVIII.

His iam, quantum ſatis eſt, præmiſſis, in vſum vocentur meliora ex iis, quæ inter emmenagoga §. 440. 442. ad 445. incluſ. laudata ſunt. Præcipue vero pilulæ Beccherianæ Extracto ellebori nigri auctæ operæ hic faciunt pretium: nec non Elix. Prop. P. non omiſſo, ſi genuinum haberi poſſit, vino Hungarico. Adhibetur etiam efficaciter hoc fine eſſentia ellebori nigri ex harum radicum extracto cum ♎vini facto paranda.

§. CCCCLVIIII.

Quantum hanc rem adiiuuent ſanguiſugæ exterius applicatæ ſupra indicatum eſt.

§. CCCCLXX.

In diæta iuuat acriuſcula, vt zingiber, allium

um, cepas, erucam moderate adhibere: Ceterum autem alui obſtructiones & animi affectus, atque ex his maxime triſtitiam fugere.

§. CCCCLXXI.

Clyſteres & ſuppoſitoria acria caute adhibenda ſunt, vtique ſi ad externas hæmorrhoides res ſpectat, quoniam ad exulcerationes periculoſas diſponunt.

§. CCCCLXXII.

Ceterum opus eſt toto curationis tempore ,& quando fluxus ſuccedit, aëris humidi frigidique admiſſionem cauere.

§. CCCCLXXIII.

Atque hæc de euacuatione dicta ſufficere poſſent, niſi ſupereſſet dicere adhuc de rerum toto genere præter naturalium ex corpore excluſione: de quibus deinceps agemus, & quidem eſto

Subſectio X.

DE

VERMIVM EIECTIONE.

§. CCCCLXXIIII.

V*ermes viuos in corpore nidulantes* expellendos eſſe, dubio caret; vt ſtatim ad anthel-

anthelminticorum remediorum ſyluam adire liceat.

§. CCCCLXXV.

Inſeruiunt huic ſcopo quam maxime ex mineralibus ⊖ commune multa aqua ſolutum, (vbi ad manus eſt ▽ marina aut fontium ſalſorum) tum etiam ratione ⊖is pleræque acidulæ dictæ. Mercurius crudus vel ſimpliciter in aqua decoctus, vel cum ſaccharo tritus, vel præparata eius ☿rius dulcis & æthiops mineralis, ſulphur.

§. CCCCLXXVI.

Ex regno animali pauca proſtant, commendantur tamen C. C. vſtum: & fel tauri inſpiſſatum atque in pilulas redactum: quod & externe aliqui non infeliciter adhibent.

§. CCCCLXXVII.

Ex vegetabili regno inter multa, quæ laudantur, eminent amara, vt gentiana rubra, abſinthium, tanacetum, centaurium minus, ſem. cynæ, ſcordium, card. benedictus, chinchina: tum & alexipharmaca quædam odore penetranti & acrimonia reſinoſa prædita, vt angelica, meum, carlina, enula, raphanus ruſticanus, ruta, allium, porrum, cepæ, caryophylli aromatici, zingiber, piper. Deinde quæ purganti quadam facultate pollent, vt flores perſici, aloe, ſagapenum, galbanum,

ſcylla:

ſcylla: omniaque, quatenus expurgant canalem inteſtinorum purgantia, vt diagrydium, gialappa, rhabarbarum.

§. CCCCLXXVIII.

Porro ſunt quædam ab experientia cognita anthelmintica, quorum agendi modum vix a priori indices, vt radices graminis, hyperici flores & ſemen, ſemen portulacæ, muſcus corallinus.

§. CCCCLXXVIIII.

Præparata plurima proſtant in officinis, quæ vel directe vel indirecte vermibus aduerſantur, vt ♁ium diaph. cinnabaris ♀ ⊕-l. arcan. duplicat. 🜃 foliata ♀ri. Species diaturbith c. rhab. trochiſci hermetici Zwingeri. ℞ ♁ij. metallorum. ☿ contra vermes Auguſtanorum, ⌒⊖✳ci. Syr. fl. perſicor. violarum.

§. CCCCLXXX.

Quin memini caſus, vbi buſones viui per 18. annorum corpore feminæ hoſpitati tandem loco cedere coacti ſunt linctu quodam ex ☍ amyd. d. ſyr. violarum, ſperm. ceti & tantillo ⌒⊖✳ci: quæ mixtura raucedini deſtinata vermes hos tam longæ tragœdiæ auctores expulit.

§. CCCCLXXXI.

Circa modum exhibendi fere præſcribi ſolet, vt formulæ adiiciatur aliquid, quo vermes

mes alliciantur, quodque pro grata eſca aui-de arripiant & ſimul, quantum ſatis eſt, ad mortem deuorent: hoc fine ſaccharum, mel, paſſulæ, ficus & id genus alia abunde nota proſtant.

§. CCCCLXXXII.

Nec male præcipitur, vt dum per ſuperiora exhibuimus anthelmintica, per inferiora clyſterem ex lacte iniiciamus, vt vermes deuocentur.

§. CCCCLXXXIII.

Iisdem dulcibus & nutrientibus ſubinde opus eſt, ſicubi irritati magis, quam quantum ſufficit expugnati vermes roſtris ſuis inteſtinorum tunicis infixis dolores & tormina non raro ad conuulſiones vsque excitant, vbi ſubinde opus eſt tantiſper intermiſſo morbo ſymptomati, vermes placando, mederi: vti que in teneris, quibus non ſatis imperari continuatio medicinarum poteſt. Adulto tali caſu forte nihil æque conferre poſſit largo hauſtu aquæ ſalitæ, quæ fere efficit, vt vermes, ſi ventriculum occupauerunt, per ſuperiora prodeant.

§. CCCCLXXXIIII.

Monent aliqui, vt curationem vermium luna potius decreſcente, quam alio tempore aggrediamur: quod ſuo loco relinquimus.

§. CCCCLXXXV.

Aliqui externas medicinas quasdam im-
penſ

penſe commendant. Nic. Chesneau laudat & docet balſamum circumforaneorum: alii alias compoſitiones vmbilico imponere iubent, quæ ſingula ſimul cum internis tum experiri licebit, ſi curatio videatur tardius procedere.

§. CCCCLXXXVI.

Cautio ſemper ſit, ne, dum vermes aggredimur, irritemus potius, quod fere fit per ſola amara, quam vincamus: conſtat enim experimento Franc. Redi, lumbricum inteſtinalem vinum per xxx horas & vltra in ſolutione aloes vixiſſe.

§. CCCCLXXXVII.

Antheiminticorum vſui debet ſubiungi laxans vel purgans aliquod, vt cadauera enecata, aut forte ſaltem debilitati vermes, quantocius eiiciantur, antequam vires recipiant.

Subſectio XI.

DE

FLATIBVS EXPELLENDIS.

§. CCCCLXXXVIII.

Carminatiua vocantur illa remedia, quibus moleſtias flatulentas remouemus: de quibus nobis hoc loco licebit eſſe breuiori-

bus, quoniam tota res redit ad alteratio-nem.

§. CCCCLXXXVIIII.

Nam ſiue humores tenaces mucidi primas vias & vlteriorem canalem inteſtinalem ob-ſidentes illos induxerunt, corriguntur inci-dentibus, colliquantibus, diluentibus: ſiue atonia ventriculi & inteſtinorum, quæ non ſatis viuide flatulentos vapores ad inferiorem portam propellit, in culpa eſt: opus peragere debent tonica, id eſt, motum fibrarum robo-rantia, de quibus pariter ſuo loco dicendum erit.

§. CCCCXC.

Nunc ſufficiat, breuiter adumbrare metho-dum carminandi. Mucoſitas tenax prima-rum viarum incidatur ſalibus mediis & dige-ſtiuis, additis ex vegetabilium claſſe acribus non calidis, vt aro, zingibere, adiectoque ab-ſorbente quodam, vt conchis præparatis, lap. ♋ &, ſi calor adſit, iungatur ⦶um, alias ⊖ medium, vt ♀ ⊕-ſatus.

§. CCCCXCI.

Flatus euocentur, ſi valde abdomen diſten-dant, clyſtere carminatiuo, aut globulis car-minatiuis Vtrechti: exterius abdomen foue-atur vel ſicco calore, corpore quodam calefa-cto impoſito, vt latere, ſtanneo orbe vel ſi-mili

mili: vel veſicæ decoctis carminatiuis calidis impletæ imponantur.

§. CCCCXCII.

Extra paroxyſmum ſtudeatur, per rerum non naturalium correctum vſum, inteſtinis priſtinum robur reddere, hydropoſian immoderatam intermittendo, vini laudabilis aut 🜄 tempeſtiuo & legitimò vſu. Alui obſtructio ne inualeſcat, prouidé caueatur, & legitimo ſucceſſui transſpirationis inſenſibilis ſtudeatur.

Subſectio XII.

DE

SANGVINE EXTRAVASATO EX PARTIBVS INTERNIS EVACVANDO.

§. CCCCXCIII.

Haud vno modo accidit, vt *ſanguis extra vaſa ſua*, a qualicunque violentia rupta, effundatur vel in partium interſtitia, vel in aliquam cauitatem, vbi ſubſiſtendo haud leue incommodum ſubinde affert.

§. CCCCXCIIII.

Vbi maior eſt extrauaſatio & notabilis in aliqua cauitate hæret cruoris copia, plerumque neceſſaria eſt chirurgica opera, vt in vul-

neribus in cauitatem penetrantibus: de quo hic non eſt dicendi locus.

§. CCCCXCV.

Vbi vero lapſus, contuſio, oneris grauioris cum niſu nimio geſtatio aut eleuatio fibris vim intulit, vt aliquæ earum laceratæ ſanguinem interfluentem emittant: reſoluentia & certo modo euacuantia inprimis requiruntur.

§. CCCCXCVI.

Et quamuis etiam hoc nomine potius ad alterantium claſſem reſeruari omnis hæc tractatio poſſet: malumus tamen, quia ad plures titulos hæc euacuationis ſpecies pertinet, eius hic etiam, quantum opus videtur, meminiſſe, quam omittere.

§. CCCCXCVII.

Tria autem in hoc genere efficaciora pro vſu interno: plura pro externo celebrari merentur. Primum eſt arnica vera, ſeu doronicum plantaginis folio, cuius incredibilis in hoc læſionis genere vis eſt: ſed quod de ea, quantum ſatis eſt, dixiſſe me in materia medica, regni vegetabilis Claſſ. III. ſub titulo Alisma, memini, nolo hic vſum multis verbis repetere.

§. CCCCXCVIII.

Alterum eſt rhabarbarum verum, ea doſi repetito

repetito exhibendum, vt ad effectum purgationis non ſufficiat, ſed potius reſolutorias vires ſolas in ſanguine exſerat. Faciet hoc a ℈ß - ℈j. Et, ſi diutius continuare placet, etiam minori doſi. Atque huic præcipuas vires debet ſane ♀is contra caſum officinalis. Nec omnino fruſtra erit, ſi eſſentiam rhabarbari cum 🜍 quadam alcalina remixtam adhibeamus.

§. CCCCXCVIIII.

Tertium remedium eſt compoſitio ſimpliciſſima, nimirum lap. 🜨 ʒß cum aceti vini, vel alius probi, aut ſucci citri ℥j ſemel vel bis de die, prout poſtulare magnitudo mali videtur.

§. D.

Si quis in pharmacopœi gratiam longam formulam cudere ſe debere putat, videat ne effectus ſperati vel exſors maneat, vel tardius compos reddatur.

§. DI.

Inter externa, quæ noui, efficaciſſima ſunt radix bryoniæ, cucumeris aſinini, ſigilli Salomonis, flores vt & folia ſambuci (niſi ſint, qui ab odore male habent) hæcque, ſi haberi poſſunt recentia, optime imponuntur, vel radula ſimpliciter comminuta vel contuſa: ſi hyems ſit, fiat groſſus ♀is cum vino vnica ebul-

 litione

litione emolliendus potius quam coquendus, ne optimæ vires diſſipentur, tumque fiat cataplaſma dolenti loco calide applicandum.

§. DII.

Locum vero non inueniunt talia, niſi læſio ſit in parte ſumma, vt ſunt grauiores ſugillationes: ſed nec fruſtra tunc tentantur ſimul interna, ſi non alia, ſaltem lap. ♋.

§. DIII.

Quicquid vero tentare talibus placet, neceſſe eſt, vt mature fiat, alias ſuppuratorius effectus vel potius euentus vix auertetur.

PARS II.
DE
ALTERANTE METHODO.

§. DIIII.

Alterationis vocabulum in ſcholis non vno modo accipitur: alii tribuunt ipſi latiſſime patentem ſignificatum, quo medicamentum in genere denotat, adeoque euacuantia etiam complectitur, quæ alterantia tertiarum qualitatum vocantur: quin ἀλλοιώσεως notio vsque adeo ad alimentorum in chylum, ſanguinemque mutationem & deinceps aſſimilationem in partium ſolidarum ſubſtantiam transfertur.

§. DV.

Mihi, præceptores meos ſequuto, licebit alterationem opponere euacuationi, eamque adſtringere notionem correctioni humorum. Nam etſi motui ſolidorum etiam tribui poteſt alteratio, ſeu in alium modum mutatio: videtur tamen commodius, vt ab initio, §. 6. inſtituimus, hanc motuum correctionem parte III. ſeorſim conſiderare.

§. DVI.

Et quamquam humorum vitia ſolidorum motum deprauatum fere inferunt, & ex ſolidorum vitiis in fluidarum partium læſionis

cognitionem non raro deducimur: ſunt tamen in praxi ſatis diſtinctæ conſiderationes, vtrum prius potiusque debeamus aggredi, an humorum vitia e longinquo orta & morbo cauſas præbentia, an vero potius motum, vel ad periculi plenum exitum properantem, compeſcere; vel cum valetudinis præſentaneo damno remiſſum excitare; vel aberrantem blando modo in ordinem redigere.

§. DVII.

Humorum vitia alterationem ſeu correctionem requirentia, vt circulo vitali commodiores aptioresque reddantur, ſunt vel nimia tenuitas & fluxilitas, quæ incraſſantia indicat: vel nimia ſpiſſitudo, quæ reſolutionem: vel cacochymica prauitas, eaque vel ſalſa acris, quæ diluentia, obtundentia & edulcorantia poſcit: vel bilioſa calida, quæ refrigerantia poſtulat: vel acida, quæ abſorbentia indicat: vel mucoſa, quæ incidentia & reſoluentia requirit: vel denique vappida & ad corruptionem ruens, quæ per balſamica ſpirituoſa inſtaurari poſtulat.

§. DVIII.

Adeoque pars hæc altera ordine tractabit: 1) de *incraſſatione humorum*, 2) de *eorundem reſolutione*, 3) de *correctione cacochymiæ ſalſæ acris*, 4) de *correctione cacoch. bilioſæ*, 5) de *correct. cacochym. acidæ*, 6) de *corr.*

cacoch.

cacoch. mucoſæ. 7) de *corr. cacoch. vappidæ.*

§. DVIIII.

Quas claſſes antequam per ſectiones totidem conſiderare incipimus, iuuabit præmittere quasdam generales regulas.

§. DX.

Quemadmodum humorum vitia notabilia ſine vitæ ſanitatisque notabili vitio ſatis diu tolerari poſſunt, vt orthoſtadia vtcunque ſeruetur: ſic in morbo iam enato nude alteranti methodo nimis confidere non decet: ſed protinus ad motuum ſimul directionem, & euacuationem commodiſſimam reſpicere oportet.

§. DXI.

Præcipue id in acutis morbis, vbi occaſio medendi præceps eſt, attendi debet, vbi alterantia ſecundo loco ponenda ſunt, euacuatio autem debita ante omnia curæ cordique eſſe debet.

§. DXII.

Alterantia in primarum viarum vitiis, vt & in chronicis nonnullis, ab humorum vitalium deprauatione a victu prauo pendentibus, vt ſcorbuto vero, manifeſtiſſimum & præſentiſſimum fructum præſtant.

§. DXIII.

Alterantis remedii notio non adeo ſtricte vrgenda eſt. Sic in muciditate & tenacitate humorum corrigenda diluentia aquea non quidem iuuant alterando, id eſt, mutando principia humorum; quin eadem, quæ ante fuerant, remanent; ſed interponendo ſeſe ſuaque acceſſione præſentem ſtatum mutando & emendando ſenſim iuuant, & in ordinem humorum maſſam redigunt.

§. DXIIII.

Alia, quando ſuam operationem vere alterantem, i. e. in contrarium mutantem, exſeruerunt, non ſtatim integritatem priſtinam naturæ reddunt, ſed tertium quid euacuationi aptius conſtituunt. Sic acidam humorum corruptionem antacida, ſiue abſorbentia ſiue alcalina dum deſtruunt, ſal quoddam neutrum euacuationi diureticæ deinceps aptum relinquunt, aut ſaltem euacuationi aluinæ, ſi in primis viis hæſerit, aptius quam ante fuerat: qua excluſione eueniente ſalua res eſt.

§. DXV.

Alterantium virtus non debet æſtimari ex quantitate humorum peccantium & oppoſiti remedii: vt extra corpus certum determinari poteſt, v. g. quanta pars abſorbentis aut alcali quantæ parti aciditatis infringendæ ſaturandæque opponi debeat: ſed quemadmodum ſenſibilitas partis vnius præ altera maior

eſt,

eſt, pro eo ac maiorem neruorum ſenſoriorum copiam nacta eſt; ab vno loco autem affectus vnius ſenſus ad alium neruis ab eadem origine inſtructum tranſit: ſic & remedii efficacia ventriculo, vtpote parti maxime neruoſæ, adeoque pluribus affectibus compatienti communicata, iuuantium ſolatia ad alias principaliter affectas transmittit, ſenſumque moleſtum ſolando ac demulcendo prius mitigat vel aufert, quam veroſimile ſit, ad locum principaliter affectum proportionatam peccanti materiæ quantitatem remedii deferri potuiſſe.

SECTIO I.
DE INCRASSATIONE.

§. DXVI.

Incraſſatio eſt actus therapeuticus, quo humores ob craſin valde tenuem, fluidam & penetrantem ad orgaſticas commotiones procliuiores eo redigimus, vt magis craſſam & ſaturatam conſiſtentiam nanciſcantur: motui circulari & excretionibus rite accommodatam.

§. DXVII.

Nimia illa humorum fluiditas & tenuitas obſeruatur ſubinde in ætate adoleſcente & iuue-

iuuenili, quare ad æſtus volaticos concipiendos, ad congeſtiones dolorificas circa partes diuerſas, ad hæmorrhagias enormes, ad febres ardentes & alias, atque fauentibus occaſionalibus cauſis, ad choleram maxime procliues ſunt.

§. DXVIII.

Talis conſtitutio, etſi ſanitatis perfectiſſimæ fructus eſt, in ancipiti tamen periculo ſemper verſatur, vt a quauis cauſa fortius expandente, vt ardore ſolis, motu, iracundia, vini aliorumque ſpirituoſorum potu, graues incurrat noxas, quin vitæ periculum ſubinde ſubeat.

§. DXVIIII.

Præter hanc vniuerſalem totius humorum maſſæ fluxilitatem & tenuitatem nimiam, aliquando particularis illa obſeruatur, ſcilicet vitio partium ſecretioni inſeruientium, dum nimis relaxatæ plus quam decebat, tenues humores transmittunt: quod vitii genus, quia in medendo magis ad ſolidas quam fluidas reſpiciendum eſt, ſuo loco attingemus. Craſis humorum nimis attenuata & ad putredinem inclinans præcipue in febribus malignis obſeruatur, in quibus incraſſantis methodi tum vtilitas quotidie ſpectatur, tum vero in compoſitionibus veterum habitam eſſe eius rationem, facile cognoſcitur.

§. DXX.

§. DXX.

Simplici itaque humorum tenuitati medemur efficaciſſime quidem diæta, ſubtrahendo potus tenuiores & ſpirituoſos, aromatica, inque motu id regimen tenendo, vt cælo non ardente, ſed potius matutinis ac veſpertinis horis corpus exerceatur, tranſpiratione que leniter intenſa pars humorum halituoſior magisque expanſiua eliminetur: de reliquo quies animi ac corporis, & aër potius frigidiuſculus quam calidus.

§. DXXI.

Porro ex alimentis conueniunt gelatinæ modice acidulatæ, acetaria modeſte ſumta, piſcium eſus, lac, ſerum lactis & lac ebutyratum, carnes frixæ & aſſatæ, panis bis coctus, acetoſa in cibum apparata.

§. DXXII.

Si ebullitio ſeu orgaſmus concitatus fuerit, ad compeſcendum illum valent emulſiones ſaturatiores cum particula nitri: iulepi refrigerantes cum ſucco citri aut ſyrupo +toſitatis citri: aut ſi fortiora deſideramus, addantur clyſſus ♁ii, ⌒⊕-li & ſimilia.

§. DXXIII.

Sed omnia fere remedia in refrænando ſanguinis orgaſmo ſuperat ⦶um, cui abſorbentia 🜃ea adiungere licebit. Nec parum efficax eſt vſus balneorum frigidorum prouide inſtitutus.

§. DXXIIII.

§. DXXIIII.

Atque hæc fere ſunt, quæ reſpectu humoris turgentis fieri poſſunt: quibus prudenter iungendum eſt ex claſſe eorum, quæ anodyna virtute ſolidas partes afficiunt, meliora, quum notum ſit, quantum ſolida ad fluidorum motum progreſſiuum contribuant, motum ſanguinis inteſtinum excitando & intendendo.

§. DXXV.

Ad particularem affluxum & effluxum nimis tenuis humiditatis, quum vix vmquam illa ſit ſine ſenſibili acrimonia, iuuat in vſum vocare, quæ deinde ſeorſim commendabuntur ſuo loco, & ſolidorum vitio medelam ante omnia afferre.

SECTIO II.
DE
RESOLVTIONE.

§. DXXVI.

Reſolutio eſt actus therapeuticus, quo humores iuſto ſpiſſiores & lenteſcentes, hinc motui progreſſiuo ineptos & partium obſtructioni idoneos, attenuamus, fluidioresque reddimus, vt in circulum debitum propelli poſſint.

§. DXXVII.

Latiſſime patet methodus hæc reſolutoria, pro

pro eo ac vitium vel ſimpliciter in vniuerſa maſſa hæret, vel ſigillatim aut ſanguini aut lymphæ inſidet: vel viſceribus iam labem affricuit, illa obſtipando, canales diuerſos obſtruendo, vt vel infarctus viſcerum, vel omnino iam ſcirrhi enati ſint.

§. DXXVIII.

Leniſſima in hoc genere vocantur diluentia, quæ ſe aquoſis ſuis particulis ſpiſſis humoribus inſinuando & interponendo ſpiſſitudinem tollunt, vocantur etiam humectantia.

§. DXXVIIII.

His potentiora ſunt incidentia, quæ acrimonia quadam ſalina mucido-viſcoſos humores, tenaciter ad- & cohærentes, dum ſe illis inſinuant, diſiungunt & ad motum idoneos reddunt, vocantur etiam colliquantia.

§. DXXX.

Aperientia, quatenus iam factas obſtructiones expediunt, ſimul incidendo, diluendoque, ipſa re parum differunt, quanquam differentia reſolutionis & apertionis ſatis facile inſenſus incurrat.

§. DXXXI.

His quoque accedunt digeſtiua dicta: de quibus tamen agetur, vbi de mucidæ cacochymiæ tractatione agendum erit.

§. DXXXII.

Sed & externo vſui quædam deſtinata reſoluen-

ſoluentia, diſcutientia, abſtergentia audiunt. De quibus ſingulis, vt commodius dici poſſit, ſequentibus ſubſectionibus agemus: cumque fieri non poſſit, vt non aliqua diuerſo reſpectu ad diuerſas claſſes referri poſſint & debeant: aliqua etiam ſimul in ſolidas partes agentia commemorari debeant: dabimus tamen operam, vt pro eo, ac potiorem efficaciam oſtendunt, commode collocentur.

Subſectio I.

DE

DILVENTIBVS ET HVMECTANTIBVS.

§. DXXXIII.

D*iluentium* vſus ampliſſime patet & potiſſimum indicatur in humorum ſpisſitudine chronicis malis originem præbere apta, vt hypochondriacis hyſtericisque pasſionibus vita ſedentaria, mœrore, vel ſanguinis abundantia contracta. Itemque in illa, vbi per duriores & continuos labores aut febre eliquata portione ſanguinis fluidiore, reliqui ſpisſior & ad motum inepta reſtitat.

§. DXXXIIII.

Neque minus ſe neſcentibus modeſte prouideque adhibita, a ſenio profecta incommoda remoratur & plurimum ſanitatem ſuffulcit,

impe-

impediendo, ne vaſa ſubtiliora cito coaleſcant; haud leui nutritionis neceſſariæ detrimento.

§. DXXXV.

Optima diluentia ſunt aqua pura & bona, aqua thermarum & acidularum, infuſa calida thée, coffé, herbarum noſtratium, corticum citri recentium, chocolada tenuior, lac, ſerum lactis, decoctum hordei, auenæ, brancæ vrſinæ, Bartſch dictum, cereuiſiæ tenuiores probe defœcatæ, vina oligophora.

§. DXXXVI.

Horum ſingulorum, ſi forte aquam puram excipias, nullum eſt, quod non pluribus nominibus præter ſimplicem dilutionem proſit: de quibus pauca adnotare volo.

§. DXXXVII.

Naturæ conuenientiſſimum diluens, & omnino innocentiſſimum, quod medicinæ vniuerſalis titulum meretur, eſt aqua, cuius potus ſufficiens & tempeſtiuus, vt in hygieine vidimus, ſanitati conuenientiſſimus eſt: vbi ſimul requiſita bonæ aquæ conſiderauimus.

§. DXXXVIII.

Nec vlla eſt ratio cur vllam ætatem, vbi dilutione opus eſt, arcere ab hoc remedio debeamus: Sed quoniam paucis perſuadebitur, vt hoc humectante ſimplici, quantum ſatis eſt, vtantur, dandum aliquid eſt præiudiciis & conſuetudini hominum, & aqua calida vegetabilium virtutibus alterata proponi debet.

(*Schulz. therap. gen.*) M §. DXXXVIIII.

§. DXXXVIIII.

Simplex omni laude digniſſimum & tolerabili ſatis pretio comparandum eſt theai, quod ſimul aliqua virtute anodyna ſingulari præditum eſt, adeoque hominibus maliis arthriticis & calculoſis a tenaci tartarea humorum denteſcentia obnoxiis ſuper omnia confert.

§. DXL.

Parum inferior eſt vſus infuſi veronicæ, quod tamen virtutem magis roborantem & ſubadſtringentem exſerit, adeoque locum præcipue inuenit, vbi ſimul flacciditatem fibrarum emendare deſideramus.

§. DXLI.

Corticum citri recentium infuſum & ſapore & colore iucundum catarrhalibus ſenum affectibus inprimis conuenit: credo equidem, quod & diluendo ſanguinem efficit, vt per tunicam narium, palati & bronchiorum melius transeat: & quod balſamico ſimulque diuretico oleo ad vias vrinarias blande ſtimulatas & roboratas ſanguinem inuitat.

§. DXLII.

Paria fere facit infuſum meliſſæ, quod ſeorſim mulieribus confert ad ſanguinem dilutiorem redditum per vteri vias euacuandum.

§. DXLIII.

§. DXLIII.

Saluiæ infuſum multis laudibus effertur: ſed forte præcipua virtus in oleo diuretico, cuius tantillum in aquam transmittit, conſiſtet.

§. DXLIIII.

Infuſum coffe manifeſte reſoluentem & fibras relaxantem virtutem poſſidet, ſi tempore iuſto, nec nimis ſaturatum aſſumatur.

§. DXLV.

Conſiderandum autem in eiusmodi aquis non ſolum, quid aquæ medicinalibus ingredientibus alteratæ, verum etiam quid calor aquæ communicatus poſſint: vtpote cuius in attenuando & fluxiles humores reddendo non exigua ſane vis eſt, quæ ſe mox exſerit in eo, quod transſpirationem intendi ſentimus.

§. DXLVI.

Quod beneficium, vt haud ſane exiguum corpori fructum præſtat: ita viciſſim cauendum eſt, ne quotidiano vſu conſuetudinis ſeruitutem nobis imponamus, & beneficii fructum amittamus: deinde ne transſpirationi vnice mancipati aliarum excretionum ſucceſſui officiamus, & nos exanthematicis morbis exponamus.

§. DXLVII.

Progredior ad potum aquæ medicinali virtute ab ipſa natura imbutæ; quæ vel frigida

eſt, vt ſic dictarum acidularum, vel calida, vt thermarum: de quarum partibus conſtitutiuis, viribus & vſu alibi iam diximus.

§. DXLVIII.

Præ ceteris commodæ ſunt frigidæ, quæ a fontibus ad diſſita loca transſportari poſſunt & diluendi ſcopo adhiberi quocunque tempore poſſunt, methodo non Italico-Germanica, vtpote non omni morbo & ætati congrua, ſed ea, quam Fridericus Slare apud Britannos docuit.

§. DXLVIIII.

Nam ſi vulgari methodo, quæ ad largiſſimam alui expurgationem tendit, adhibere omnibus vellemus, iis, qui infarctu viſcerum iam ſcirrheſcente aut ex parte ſcirrhoſo laborant, perfectum hydropem facile conciliaueris: ſenibus autem & imbecillis, quorum fibræ iam pleræque obriguerunt & ſolidæ factæ ſunt pro concauis, ſphaceloſam corruptionem induces, cuius quidem euentus bis obſeruati probe memini.

§. DL.

Senibus optime ad diluendum confert chocolada tenuior & potus cetera tenuis, vt cereuiſia, vinum oligophorum, ſubinde interpoſito hauſtu generoſioris: aut ſi aquæ potui quis adſuetus ſit, ipſa hæc vino distemperata vel interpoſito vini vſu.

§. DLI.

§. DLI.

Serum lactis & ipſum ſenibus conuenit, ſi præter humectandi ſcopum acrimoniam quoque ſanguinis obtundere & edulcorare cupimus. Ceterum omni ætati confert, ſi ſimul diluere & per epicraſin euacuare ſenſim cupimus.

§. DLII.

Decoctum hordei crudi aut auenæ ad crepaturam vsque, cum radic. cichor. & ſcorzeneræ, tantilloque ⏀i parari maxime ſolet pro febricitantibus ad ſanguinem ipſorum diluendum, ſimulque in ſitis ſolatium. Additur ſuccus citri & ſaccharum ad gratiam.

§. DLIII.

Aliquando decocta eiusmodi, acido nondum admixto, accipiuntur pro vehiculo emulſionum, vt ſimul ſpiſſitudo eius & acrimonia corrigantur.

§. DLIIII.

Elegans etiam diluens & ſimul æſtus mitigatorium decoctum Luſitanicum Fulleri, quod hunc in modum paratur ℞ ▽ font. ℥xxvj ſucci limon. ſacch. alb. à ℥ij coccinel. ℈j coque ad deſpumationem: adde ▽ roſar. ℥jv. per ſubſidentiam depuretur.

§. DLV.

Ante non multos annos decoctum auena-

ceum tantum non pro vniuerſali medicina venditabatur, editaque ſunt de eo varia ſcripta, quæ legere & ex iis optima deligere iuuabit: nam res non eſt omnino contemnenda: tota autem redit ad ſanguinis dilutionem & emunctoriorum apertionem.

§. DLVI.

Quoad vſum eiusmodi diluentium, ſi quid obtinere eo, quod operæ pretium ſit, in morbis chronicis cupimus, conſiderandum eſt, an plethora ſanguinis ſpiſſitudini iungatur; quod fere ſemper fieri ſolet: hocque reperto opus eſt, ventilatione eius præmiſſa, viam & ſpacium fluido, quod intermiſceri ſanguineæ maſſæ cupimus, parare: quo facto & tutius omnia & longe facilius ad felicem exitum perducemus.

Subſectio II.

DE INCIDENTIBVS ET COLLIQVANTIBVS, NEC NON DE DISCVTIENTIBVS.

§. DLVII.

Poſt ſimpliciter diluentia, id eſt, ſpiſſiori humorum conſiſtentiæ ſeſe interponentia eaque ad fluiditatem neceſſariam principii potiſſimum ∇eo reducentia, nunc agendum

dum eſt de illis, quæ principium quoddam poſſident, quo tenaciores humorum cohæſiones mucido-viſcidas diuidant & aptas illas reddant, quæ poſtliminio in circulum communem recipi poſſint.

§. DLVIII.

Tales vero, quum alibi etiam colligi & ſubſiſtere poſſint, potiſſimum in primis viis & bronchiis pulmonum aſperæque arteriæ tubo obſeruantur.

§. DLVIIII.

Poſtulant autem remedia non tantum diluendo efficacia, ſed inſuper ſalino-ſulphurea, quaſi ſaponacea indole prædita, quæ mucilaginem animalem, vtpote de natura pinguedinis multum participantem, gelatinoſam, intimius ſubeant & reſoluendæ ipſi paria fiunt.

§. DLX.

Huius generis ſunt ex minerali quidem regno iterum laudandæ aquæ ſalubres ſale alcalino vel medio, cum alcalini ſuperpondio, gaudentes; ſalia lixiua, media & enixa, tincturæ alcalinæ, præſertim menſtruo ∼uoſo-ꝏoſo paratæ, vt ℞ metallorum cum ∼u iuniperato facta ℞ ♁ij acris, ℞ ♀ri, ∼⊖is ammoniaci, ⊖△le ꝏſum.

§. DLXI.

Porro huc pertinent mitiores medicinæ ex

♁io & ☿io, quarum virtutes ſupra omnia remedia, quæ vmquam inuenta ſunt, in inci-dendo, colliquando & aperiendo eminent: vt ſunt ☿ius dulcis, æthiops mineralis, ☿ tar-tus ruber legitime adhibitus, turpethum mi-nerale ſcienter præparatum & mitigatum, 🜍 ♁ij ☉tum, ♁ium diaphoreticum, bezoar-dicum minerale, ☉are, ♃iale, quæ ſingula iterum laudabuntur, vbi in ſpecie de muco-ſa lymphæ conſtitutione corrigenda ſermo erit.

§. DLXII.

Ex regno vegetabili huc pertinent iterum ſupra laudata infuſa & decocta: ſed quoni-am per ſe ſola, quod nimis leuia ſunt, non ſufficiunt, addi ipſis debent efficaciora vel

a) ſale blando aperitiuo potiſſimum pollen-tia, vt

Rad. ari
aſparagi
bardanæ
bruſci
caryophyllatæ
chinæ
cichorei
cyperi
galangæ
gentianæ
petroſelini
pimpinellæ albæ

pyre-

pyrethri
ſarſæparillæ
taraxaci
valerianæ
vincetoxici
zingiberis
zedoariæ
Turiones aſparagi
bruſci
lupuli
ononidis
Herb. bellidis c. fl.
betonicæ
calaminthæ
card. bened.
centaur. min. c. fl.
cherefolii
hyſſopi
maioranæ
mari veri
marrubii albi
matricariæ c. fl.
meliſſæ
menthæ
origani
pulegii
roriſmarini c. fl.
ſatureiæ
ſcabioſæ c. fl.
ſcordii
veronicæ

Flores arnicæ
bellidis
cheiri
croci
galegæ
lauendulæ
ſambuci
ſtoechad. Arab.
vlmariæ.
Semina C. B.
card. Mar.
carui
cumini
nigellæ
petroſelini
quatuor calida maiora & minora.
Cort. winteranus
aurantior.
citri.
Aromata acria
Succi & gummata
ammoniacum
ſagapenum
galbanum
myrrha.

Præparata præcedentium, vt eſſentiæ, extracta, olea pro diuerſitate formæ medicamenti, quam concinnare voluimus.

Compoſita.

Syr. de 5. rad. aper.
de 2. radicibus

de

de ſtoechade
byzantinus ſimplex
MR. ſimplex
MR. tonica Stahlii
♎ ⦶i dulcis
♎ ⊖is dulcis
eſſ. alexipharmaca Stahlii.

b) vel de ⊖e purgante participantia: vt

Rad. aſari
bryoniæ
iridis Florent.
polypodii
rhabarbar.
ſcyllæ
herb. cuſcutæ
epithymi
fumariæ
Flores roſar.
lilior. conuall.

Nota: hæc addi poſſunt, vbi per epicraſin agere viſum fuit, infuſis tam aqueis, quam cum ſero lactis & vino parandis.

Eſſ. rhabarb. c. ℞ *℥ij iuncta eſt potens reſoluens.*

c) vel ſale acri & ſimul oleo æthereo conſtantia, aut ſaltem ♀reis reſinoſis particulis ſcatentia, vt

Rad. apii
angelicæ

car-

carlinæ
helenii
imperator.
leuiſtici
mei
petaſitidis
peucedani
herb. abſinthii
abrotoni
cochlearia
ſcordium

& plures ſupra iam ſimul laudatæ.

d) Vel ⊖e quodam nitroſo cum particulis terreis tonum roborantibus: vt

Rad. ariſtoloch. vtriusq.
caryophyllat.
rubiæ tinctor.
Herbæ capillares
geranium Rob.
morſus diab.
hepatica nob.
Flores roſarum Damaſc.

Ex regno animali.

Spherma ceti
millepedes
cantharides
bufo exſiccatus
ſang. hirci

& quæ originem animali-vegetabilem habent

Fungi Cynoſbati
Coccinell.
grana kermes.

tum præparata.

⌒ *C. C.*
⊖ △*le C. C.*
⌒ *ſerici crudi*
ſuccus kermes.

§. DLXIII.

Quod ad methodum talia ſubordinandi & legitime adhibendi attinet, notari debent ſequentia.

§. DLXIIII.

Spiſſeſcentia humorum viſcidior, & ad fibroſam concretionem inclinans, aut ad emunctoriorum obſtructionem, vel eſt in communi humorum maſſa, vel in aliquo organo ſeni & excretorio decumbit & ſubſiſtit.

§. DLXV.

Si in communi humorum maſſa, id eſt, intra vaſa potiſſimum maiora hæret, & in polypoſas concretiones abire parata eſt: quod fit poſt grauem terrorem, profundum mœrorem, frigus penetrans diutius toleratum, potum-

potumque ſpiritus vini tali conſtitutione & tempore largius vſurpatum: opus eſt talibus, quæ lixiuioſam naturam ſortita ſunt, aut ſaltem mediis ⊖ibus §. 560. commendatis: hæcque in prima acie collocanda erunt: ſuccenturiari autem debent ex vegetabilibus, pro temperamentorum diuerſitate ex diuerſis claſſibus ſic eligenda, vt pro natura ſiccioribus & calidioribus ex prima claſſe deſumantur: pro frigidioribus & laxiori ſtructura præditis ex tertia: ſubiunctis ſemper ex laxantium & tonicorum ſerie neceſſariis ſuppetiis.

§. DLXVI.

Si vero in ſecretorio quodam viſcere aut colatorio vitium deprehendatur fixam ſedem occupaſſe, maior fiducia ponenda eſt in mercurialibus & ♂ialibus: vtpote quæ efficaciſſima ſunt ad vltimas extremitates vaſorum, in quibus ſecretiones, excretiones aut percolationes fiunt, aperiendas, humorumque inibi hærentium coagula reſoluenda. Sed itidem adiuuari debent continua humectatione, id eſt, vel infuſis, vel decoctis, ex vegetabilium laudatorum diuerſis claſſibus, pro ſubiectorum, temperamentorumque diuerſitate conciliandis.

§. DLXVII.

Taliumque remediorum vſus ſatis diu continuandus eſt: meliusque fuerit ab initio

rem

rem modicis viribus tentare & aggredi, in progreſſu autem curationis magis intendere, quam eandem præcipitare nimium vrgendo.

§. DLXVIII.

Eo enim caſu alterum ex his duobus accidit, vt vel ſpiſſa materia tenuiſſimis meatibus fortius impingatur: vel ipſa vaſa rumpantur, & humores incommodo loco effundantur: quod vel mictui vel vomitui cruento, vel hæmoptyſi, vel hydropi: aliquando apoplexiæ viam ſternit.

§. DLXVIIII.

Hocque eo magis metui debet, quo manifeſtior eſt humorum abundantia: aut ſi ſpasmodicæ pertinaciores in aliqua parte ſtricturæ ad alias humores compellant, inibique detineant: vt & in febrilibus motibus.

§. DLXX.

Denique in vniuerſum meminiſſe oportet, rem non ſolum eſſe cum humoribus, ſed maxime partes ſolidas nos reſpicere debere, vtpote a quibus humorum propreſſio & propulſio potiſſimum dependet: quare nihil committendum eſt, quod tonum ſolidarum partium vel intempeſtiue irritando deprauet, vel vires optimosque ſuccos fruſtra conſumendo debilitet.

§. DLXXI.

§. DLXXI.

Ad vtrumque vero errorem nihil promtius deducit, quam vſus fortiorum ex claſſe purgantium, & calidiorum ex claſſe alexipharmacorum vſus cum regimine inſtitutus & continuatus.

§. DLXXII.

Quousque negotium reſolutionis & inciſionis vrgendum ſit, docent maxime ſymptomata remittentia. Sed in diuturniori affectu iuuat partiri laborem, & rem per interualla adgredi potius, quam continue vrgendo eandem præcipitare.

§. DLXXIII.

Eiusmodi curationes non parum iuuantur diæta rectiſſime conſtituta, vt humores optimi generentur: ſed nihil æque efficax deprehenditur, quam moderatus & diutius continuatus corporis motus, iter cum iucunditate faciendum, tempore vernali & auctumnali, tempeſtate ſerena & temperata. Animum quoque a moleſtiis ac curis, quantum eius fieri poteſt, auocare, & ad iucundiſſimas occupationes traducere oportet.

§. DLXXIIII.

Nihil opus eſt, iam dictis addere de aperitiuis & methodo aperitiua, quippe quæ omnino ex ſuperioribus plana eſt reddita.

§. DLXXV.

§. DLXXV.

Dicemus adhuc pauca de reſoluentibus externis ſeu diſcutientibus, quæ ſtagnationem vel ſtaſin humorum reſoluendo diſſipant, & ob inſignes ac conſpicuas vtilitates, quas multis caſibus & locis exſerunt, eximiam ſane laudem merentur.

§. DLXXVI.

Breuioribus hic nobis eſſe licebit, quum hanc rem vltima ſubſectione partis primæ attigerimus. Vt rem in ſummam contrahamus, externa illa agunt partim ⊖ino acri principio in humores ſeſe inſinuante, eoque ſimul partes ſolidas ad contractionem ſtimulante: partim ∽uoſo 🜍eo fluiditatem expandendo reddente: partim roborante & adſtringente vlteriorem affluxum prohibente, & tonum partis intendente.

§. DLXXVII.

Apta ſunt his vſibus ex claſſe prima & tertia pleraque, ſed inprimis ſcordium, marum verum, marrubium, meliſſa, mentha, matricaria, roſmarinus, crocus, ſemina cumini, carui, petroſelini, quibus in vino decoquendis addi poſſunt ex purgantium claſſe bryonia rad. cucumer. ſilueſtris, irid. noſtratis cæruleæ & Florent. ſigill. Salomonis, folia & cortex ſambuci, flor. lil. conuall. roſar. pallid. ſambuci.

§. DLXXVIII.

Diſcutiendi vſu externe quoque valet 🜄ꝶſſimus præſertim crocatus & camphoratus, ſpiritus a fl. anthos vel lauendulæ abſtractus: itemque matricalis, Anhaltinus, theriacalis.

§. DLXXVIIII.

Ex claſſe emplaſtrorum eminent de ammoniaco Foreſti, ſaponatum Barbette, de galbano crocatum, diaphoretic. Mynſichti, de meliloto camphoratum, de ranis cum ☿ij triplo vel quadruplo, oxycroceum, diabotanom Blondelli, de ſpermate ceti, ſpleneticum, ſantalinum.

§. DLXXX.

Specialiſſime perniones reſoluunt 🝆 petræ; ſuccini, terebinthinæ, aut pini, Kienöh dictum.

SECTIO III.

DE

CORRECTIONE HVMORVM DEPRAVATORVM SEV CACOCHYMIÆ.

§. DLXXXI.

Hactenus vitia humorum in conſiſtentia & habilitate ad motum circularem, quo pacto illis obuiam eundum ſit, vidimus: nunc ad

ad vitioſas ipſius qualitates venimus; quas veteres dixerunt *cacochymiam*, & in genere definiunt redundantiam vitioſi cuiusdam humoris in toto corpore.

§. DLXXXII.

Veteres ſtatuerunt triplicem, vt *ſeroſam*, *bilioſam* & *melancholicam*: ſed recentiores in genere omnes heterogeneas & noxias materias humoribus intermixtas, quæ temperiem eorum euertunt, ſub cacochymiæ nomine complectuntur, & ſpecies enarrant *ſalſo-acrem*, *bilioſam*, *acidam*, *vappidam* & *putredinoſam*.

§. DLXXXIII.

Cacochymia ſalſo-acris ſeſe manifeſtat affectibus vlceroſis benignis, vt ſcabie, affectibus pruriginoſis, tuſſi acri: & indicat remedia partim edulcorantia, i. e. diluentia & ad excretionem diſponentia, partim mucilaginoſa obtundentia.

§. DLXXXIIII.

Sed malignior & profundior talis cacochymia ſeſe offert in lue ♀ea, lepra, quæ antiuenerea proprie dicta auxilia expoſcit.

§. DLXXXV.

Non infimi ſubſelli, auctores plerosque dictorum affectuum cacochymiæ ⊖ſo-acri tri-

bui ſolitorum ad pullitiem verminoſam in lymphaticis tubulis ac viis præcipue hoſpitantem transferunt, omniaque, quæ hic vere opem ferunt, anthelminthica ſui generis vocanda cenſent: de quo accuratius in pathologia ſpeciali disquiremus.

§. DLXXXVI.

Cacochymia bilioſa ſe prodit ardore & roſione in ventriculo, vnde febris incenditur & vomitus ac deiectiones bilioſæ oriuntur. Indicat partim abſorbentia, partim temperantia & obtundentia mucilaginoſa.

§. DLXXXVII.

Acida in primis potiſſimum viis oberrat & ardores ventriculi, nec raro etiam deiectiones acerrimas inducit: indicat antacida.

§. DLXXXVIII.

Vappida cacochymia dicitur, quando ob defectum laudabilis & ſpirituoſi chyli humores ad putredinem labuntur: eaque diſpoſitio vel in lymphaticis humoribus potiſſimum ſpectatur, ſicque vocatur ſcorbutica: vel potiſſimum in ſanguine proprie dicto, vnde ad ſtaſin & ſphacelum inclinat. Indicat antiſcorbutica & balſamica cum alexipharmacis.

Subſe-

Subſectio I.

DE

CACOCHYMIA SALSO - ACRI BENIGNA CORRIGENDA.

§. DLXXXVIIII.

Iam dictum eſt, talem cacochymiam expoſcere edulcorationem, id eſt ablationem illius acrimoniæ ſalſæ, quæ eroſiones, exulcerationes, pruritum excitat.

§. DCX.

Edulcorationem hanc impetramus non ſolum diluendo humores, quæ tantum non ſemper ſpiſſi & ad motum inepti ſalinarum acrium ſordium collectioni anſam dederunt: ſed inſuper diluentibus addendo & ſubordinando partim laxantia, partim blande diaphoretica, præcipue ex ♁ialium & ☿ialium familia, vt, transſpiratione continua vigente, ſalinum illud per halituoſam excretionem diſpellatur & eiiciatur.

§. DXCI.

Simul reſpiciendum eſt ad bonam chylificationem, adeoque primis viis conſuli debet per digeſtiua & ſalia media abſtergentia, perque amara ſtomachica & balſamica.

Subſectio II.

DE CACOCHYMIA SALSO-ACRI MALIGNIORE CORRIGENDA.

§. DXCII.

Talis vt ſe itidem dolorificis exeſionibus & exulcerationibus prodit; ita in genere eadem poſtulat, quæ præcedens, ſed & gradu intenſiore & tempore diuturniori continuanda.

§. DXCIII.

Seorſim ad veneream expugnandam probe explorandum eſt, quam profunde ſanguini inhæreat. Nam ſi adhuc malum intra gonorrhœam malignam ſubſiſtat, absque alio tentamine illa adiuuari debet ℞ lignorum & ♁ij S. metallorum coniunctis, & balſamo de Copaiua cum 🝆 ſuccini aut terebinthinæ, ſcopo diuretico modeſte datis, potuque calido ex ſarſaparilla, china, bardana, ſemel in die hauriendo, regimine tali, ne transſpirationi quid decedat, neque tamen illa vsque ad ſudores intendatur.

§. DXCIIII.

Si vero humores iam actu ſint infecti, danda ſunt ex ♁iatorum claſſe ♀ ♁ij ☉tum, ex ☿ialium familia ☿ius dulcis, æthiops mineralis,

lis, ☿rius ♀tus ruber cum cautionibus ſæpe dictis & ſubiunctis humectantibus ſimul reſoluentibus.

§. DXCV.

Hæc ſi nondum ſufficiant, ad ſaliuationem vsque progrediendum eſt. Sed de his, quantum ſatis dixi, vbi de euacuatione per ſuperficiem corporis itemque, vbi de ſaliuatione ☿iali egimus.

§. DCXVI.

Addendum nunc modo eſt, antequam de lue ♀ea abrumpamus ſermonem, eidem ab auctoribus optimis tribui ſpecificam quandam lymphæ mucoſitatem, variis quidem rationibus ad id docendum inductis, maxime vero ex eo, quod gummata Gallica indolem lymphæ tenacis concreſcentis produnt, & in partibus exſanguibus exulcerationes potiſſimum fiunt.

§. DXCVII.

Eadem ſalſedinoſa-acris maligna ſimulque contumaciſſima cacochymia in lepra offenditur, in qua curanda quicunque aliquod fecerunt operæ pretium, fecerunt ♁ialium & ☿ialium vſu, ſubiunctis diluentibus. Videatur obſeruatio poſtrema Sculteti.

§. DXCVIII.

Veteres lepram non minus ac cancrum ad

morbos a melancholia ortos referebant, adeoque ſub eadem claſſe collocabant. Et ſane in cancro eadem methodus diluens, edulcorans, aperitiua laudabilis eſt: ſed inſuper externa poſtulat, de quibus in chirurgia eſt dicendi locus.

Subſectio III.

DE CACOCHYMIA BILIOSA CORRIGENDA.

§. DCXVIIII.

Hanc infringunt & obtundunt partim abſorbentia ex animali regno, vt & aliqua ex minerali petita: partim nitroſa: partim mucilaginoſa, & ex parte ipſamet acidula dilutiora.

§. DC.

Abſorbentium vſum, quamuis non videantur directe oppoſita bilioſæ acrimoniæ, a priori commendat theoria obſeruationi conformis, quæ docet affectus cacochymiæ bilioſæ tribui ſolitos tunc maxime vigere, quando fermenteſcentia, vt fructus horæi, vel nimia quantitate, vel qualitate non ſatis laudabili prædita, ingurgitata fuerunt, quæ in

primis

primis viis bili admixtæ conferueſcentes turbas concitant: partim experientia a poſteriori commendat, præſertim ſi ſalina mediæ indolis admixta detergente & laxatiua efficacia ad exitum quærendum & facilius inueniendum diſponant.

§. DCI.

Talia abſorbentia ſunt dentes variorum animalium, mandibulæ lucii piſcis, lapides & chelæ ♋rum, teſtæ ouorum, oſtrearum, concharum, cochlearum, mater perlarum, cornu cerui vſtum & ſine △e pptum, vnicornu foſſile, cryſtallus montana, lac lunæ & ceteræ terræ bolares.

§. DCII.

Iungi tamen debent illis ⊖ia media præſertim ∀ foliata ♀ri, ♀rus ♀iſatus; vt & ⌽oſa, præcipue ⌽um regeneratum, quod tali caſu penetrantius & efficacius deprehenſum eſt.

§. DCIII.

Denique mucilaginoſa & gelatinoſa conferunt, & priora quidem maxime, quando febris adeſt, ex claſſe incraſſantium ſuperius indicatorum deſumenda: quibus pro æſtu ſanguinis exſtinguendo addi poſſint acidula: ſi a febri nihil timendum eſt gelatinoſa, locum

inueniunt, vt iuſcula pullorum ſimul decoctis antiſcorbuticis dictis & acidulis alterata: gelatinæ cornu cerui vel aliæ quæcunque bonæ.

Subſectio IV.

DE CACOCHYMIA SCORBVTICA CORRIGENDA.

§. DCIIII.

Cacochymia ſcorbutica, quod ſit ſpecies quædam vappidæ humorum corruptionis, non ſine ſalinæ magno commercio, iam ſupra indicauimus. Talis manifeſtiſſimum exemplum præbent homines nauticæ rei dediti, variisque diætæ erroribus ex neceſſitate ſubiecti.

§. DCV.

Pro eo verò ac quisquam etiam in continenti viuens iisdem erroribus magis aut minus expoſitus eſt, accedentibus animi affectibus triſtibus, vita ſedentaria, ſenio aere humido & frigido, exoriri etiam ſcorbuto vero analoga corruptio ſolet & poteſt, ad putredinem magis diſponens, quo magis humorum abundantia concurrit, ipſique fortius commouentur: vnde ſe vel chronico, vel acu-

to ſchemate exſerit, varioque laruarum genere incedit: aliquando etiam contagioſum, quid induit, ſi epidemica conſtitutio plures ſic a cauſis procatarcticis præparatos corripuerit.

§. DCVI.

Vero ſcorbuto nautico promtiſſime omnium ſuccurri, cauſis procatarcticis in melius mutatis, ſcilicet cibo potuque emendatis, res eſt notiſſima; neque aliis medicamentis directe indiget: quamquam herbæ recentes, vt cochlearia, acetoſa, beccabunga non omnino fruſtra adhibentur.

§. DCVII.

Difficilior eſt curatio, vbi eiusmodi diatheſis ſcorbutica in humoribus a longo tempore collecta inualuit, eoque magis innidulata fuit, vt iam viſceribus naturalium actionum præſidibus, a diuturna labe corruptis, vitalibus ſanguinem probum ſpirituoſumque parare nequeant: nec viciſſim ab his influxum ſpirituoſi probique fluidi, quo maxime opus eſt ad functiones naturales rite peragendas, accipere poſſint.

§. DCVIII.

Ante omnia indicat hic ſtatus cauſarum procatarcticarum ablationem, vel poſſibilem, quanta impetrari poterit, correctionem, per omnes

omnes rerum non naturalium ſpecies: quo facto ad primarum viarum blandam repurgationem, digeſtionisque rectum ſucceſſum reſpiciendum eſt: in quo ſpes eſt præcipua, operæ pretium fieri poſſe, ſi prius circa diætam omnia fuerint recte conſtituta.

§. DCVIIII.

Hoc facto ad humorum correctionem acceditur per ſic dicta antiſcorbutica acetoſam, beccabungam, cochleariam, naſturtium, piperitidem, ſucc. citri.

§. DCX.

Laudantur etiam paulo acriora, vt allium, cepæ, armoracia, quæ tamen magis præſeruando, ſi locis & tempeſtatibus grauibus degendum eſt, quam curando proſunt. In cibis aromata & aromatica noſtratia conferunt.

§. DCXI.

Vt vero collecta ſalia ſcorbutica ex ſanguine ſecerni excernique poſſint, opus eſt, ex diulentium atque reſoluentium claſſibus ſuppetias petere, pro gradu morbi & temperamento ægroti.

§. DCXII.

Si quis affectus acutus ita conſtitutum hominem corripit, quod caſtra ſequentibus haud raro contingit, ex claſſe alexipharmacorum

corum meliorum, quæ cuiusuis temperamento aptiſſima videntur, cum temperantibus & diluentibus ſuccurrendum eſt: de quo præter reliquos legi meretur Seuerinus Eugalenus, qui per præcepta & exempla omnem hanc rem optime propoſuit.

Subſectio V.

DE CACOCHYMIA ACIDA CORRIGENDA.

§. DCXIII.

Ea quidem ab aliquibus quondam valde crebro accuſabatur, & tantum non omnium chronicorum cenſebatur cauſa: ſed ſatis raro veræ aciditatis certa documenta in humoribus noſtris deprehenſa fecerunt, vt pathologia acida fere ſit deſerta.

§. DCXIIII.

Sed in primis viis haud raro excedere aciditatem comprobant ructus & vomitus acidi cum aliis, tum maxime hypochondriacis euenientes, qui non raro experiuntur nimis quam verum eſſe omnia aſſumta in ſe aceſcere.

§. DCXV.

Primæ ſtatim ætati acidum hic moleſtias crebras

crebras infert, quare nihil melius datur illis, quæ acidum infringere & contemperare valent.

§. DCXVI.

Talia ſunt §. 601. laudata, quibus addi poſſunt ℞ alcalinæ, vt ℞ ⊖♀i, ♁ij acris, metallorum. * Notabile eſt, in infantibus tenerrimis quantum paucæ guttulæ ℞ ♀ri cum lacte aut aqua datæ proficiant illorum torminibus & inde pendentibus eiulatibus ſedandis, vt merito habeatur in hac ætate optimum anodynum. Poſſunt etiam ſimplices ſolutiones ⊖♀i, vt artificioſæ videantur aliquo vegetabili tinctæ, vt fl. hyperici, fuligine caminorum ſplendente, aut ſimilibus hypochondriacis ſalutariter dari. Eiusdem cenſus eſt liquor ⦶i fixus, cui colorem corticibus aurantiorum conciliauerimus.

§. DCXVII.

Porro huc pertinent 🜐⊖is ammoniaci vinoſus, &, ſi pluribus ſimul indicationibus ſatisfaciendum eſt, ⊖ △le ∞ſum.

§. DCXVIII.

Operam vero dare oportet, vt, quicquid aciditatis ſenſim infractum & contemperatum eſt, apertis excretoriis organis expellatur & eliminetur: quare ſubinde interponere blandum laxans iuuat omninoque conſultum eſt.

§. DCXVIIII.

§. DCXVIIII.

Quoniam vero primas vias infeſtans aciditas vel diætæ, aſſumtorum præſertim, vitio enaſcitur: vel ceterorum ad ſanguificationem concurrentium viſcerum vitio, præſertim atonia quadam fibrarum flaccida, quæ humores non ſatis vegete commiſcet, propellit & ad emunctoria defert, continuatur: hic quoque proſpiciendum eſt, vitando præſertim potus aceſcentes, aut multum acidi in ſe reconditum habentes: viſcera autem probis balſamicis roborando & ſpirituaſcentiam ſanguini conciliando: quo non parum facit honeſta recreatio, motio corporis cum iucunditate, & mœroris, curarum, affectuum ceterorum moleſtorum profligatio.

§. DCXX.

Et tantum de humorum alteratione dixiſſe ſufficiat: progredimur ad alterationem & correctionem motuum.

PARS III.

DE MOTVVM VITIIS ALTERANDIS ET CORRIGENDIS.

§. DCXXI.

Hac parte de ſolidarum partium vitiis agendum eſt, quatenus illæ ſunt motuum, quibus vitales humores in circulum pelli debent, inſtrumenta. Quo reſpectu in fibris deprehendimus vel nimiam flacciditatem ſeu atoniam: vel nimiam tenſionem & rigiditatem: hæc in genere relaxationem, illa roborationem indicat. Vtroque vitio vel integrum corpus, vel certa membra laborant: vnde conſequitur, auxilio vel vniuerſali opus eſſe, vel particulari.

§. DCXXII.

Ipſorum autem motuum, qui ſolidis partibus peraguntur, duplex eſt vitium: debent enim alio tempore omnino feriantes excitari, aut nimis languidi exſtimulari: rurſus alio compeſci aut ſedari: idque iterum vel in certis partibus, vel vniuerſo corpore.

§. DCXXIII.

Adeoque quatuor ſectionibus opus erit ad hanc rem ordine exponendam; aget vero prima de roborantibus, altera de relaxanti-

xantibus, tertia de excitantibus, quarta denique de ſedatiuis.

SECTIO I.
DE
ROBORANTIBVS.

§. DCXXIIII.

Roborantia remedia vocantur, quibus flacciditas nimia & remiſſio toni fibrarum emendatur, vt ad iuſtam & naturæ congruam elaſticitatem ſuam redeant, & ad pondus mouendorum humorum æquilibrium teneant.

§. DCXXV.

Hoc facto, ſi fluida pariter quantitate & qualitate legitime ſe habeant, liber progreſſus & æqualis diſtributio humorum impetratur, & ſanitatis accidentia omnia eueniunt: ceſſante vero, humorum in certis partibus decubitus, vaſorum nimiæ inflationes, tandem perruptiones & extrauaſationes, aut viſcerum infarctus, indurationes, obſtructiones, ſecretionum & excretionum vitia, enaſcuntur.

§. DCXXVI.

Aut ſi vniuerſum corpus ex æquo tonum ſolidarum partium amiſerit, fluidorum maſſa

nec ſatis vegete & crebro per ſolidas transprimitur; indeque calorem natiuum fluiditatemque amittit vna cum laudabili ſpiritualeſcentia; vnde ſtatus cachecticus oritur: nec ſecretiones, vt par erat, vigent, ſicque cacochymia exſurgit.

§. DCXXVII.

Indicat itaque fibrarum flacciditas roborantia, quæ alio etiam nomine vocantur adſtringentia, & vel leniora ſunt ſeu tonica, vel fortiora, quæ hodie fere ſola audiunt adſtringentia, & propter varios abuſus paſſim male audiunt.

§. DCXXVIII.

Vtraque vel externa ſunt, quo pertinent etiam dicta repellentia, ſeu reprimentia & ſtiptica: vel interna.

§. DCXXVIIII.

Veteres roborantium claſſes admodum multiplicauerunt, quum alia cordi, pectori, capiti, ventriculo, hepati, vtero pluribusque partibus ſeorſim dicauerunt: vnde cephalicorum, cordialium, vterinorum, ſpleneticorum, ſtomachicorum nomina crebro leguntur: ſed hæ appellationes a tempore circulationis ſanguinis receptæ parcius in eo ſenſu, quo primitus recepta fuerunt, accipiuntur.

§.DCXXX.

§. DCXXX.

Antequam ad claſſem tonicorum adſtringentiümque diſponendam accedamus, monendum eſt, differre talia ab analepticis, quæ ſub claſſe motus feriantes aut nimis languidos excitantium referemus, quæque in ſolida atque fluida fere ex æquo agere, inferius ſuo loco intelligemus.

§. DCXXXI.

Pollent autem roborandi efficacia ex claſſe

a) Mineralium & marinorum

1) leniora.

corallia alba & rubra
bolus armena
fragmenta lapidum pretioſorum
terræ ſigillatæ.

2) fortiora.

alumen
hæmatites
martialia pleraque.

Externo vſui *ſaturnina*, vt *minium*, *ceruſſa*, *lithargyrium*, *ſaccharum ♄ni*, *⦶♄niſatum*, *⊕-lum ♂*, *🜄 frigida*, *alumen*, *🜃 ⊕-li dulcis*, *♀ ſympatheticus.*

Tum ex his præparata & compoſita varia, vt *Syr. & ℞ Coralliorum*, *℞ ♂is adſtring.*

Wed. ℞ *lapidis hæmatitæ cum ♀ro &* …
facta, liquor ſtypticus Weberi, fl. 🜔*ci* …
hæmatite.

b) Vegetabilium

1) leniora.

Rad. conſ. mai.
tormentill.
plantaginis
rhabarb. toſti
rub. tinctor.
caryophyll.

Herb. agrimon.
anſerin.
equiſet.
bellid. vulg. c. fl.
bugulæ
burſæ paſtor.
millefolii
plantagin.
gnaphalii
hederæ 🜄*ſtris*
hyperici
pimpinell. ſanguiſ.
matriſiluæ
betonicæ
nummulariæ
perfoliatæ
veronicæ
conſolid. Sarracenic.
vrtic. minor.

capil.

capillares omnes
pulmonaria
milzadella
hepatica.
Flores roſar. r.
prunell.
bellid.
ſophiæ chirurg.
ſcabioſæ.
Sem. plantaginis
vrticæ
portulacæ
acetoſæ.
Muſcorum pleræque ſpecies
Cortices tamariſci
chinchinæ
caſcarillæ.
Viſcus quernus
Lignum ſantali rubr.
Fruct. berberum.
meſpilorum
cornorum
myrtill.
cydoniorum
ſorborum
pirorum
pruni ſylueſtr.
Gum. maſtiches
ſarcocollæ
olibani
Succus, qui 🜄 *a catechu dicitur.*

Coccionella & grana kermes admodum pa-
rum adſtringentis habent: ſed referri huc
ſolent

2) fortiora.

Rad. biſtortæ
ſucciſæ
pentaphylli
iridis luteæ
lapathi aquatic.
ariſtolochiæ vtriusq.
Herb. ſanicul.
alchimyll.
geranii Robert.
polygoni
pyrolæ
vincæ
gnaphalii
Folia myrti
quercus
Semen acetoſæ
lapathorum
Flores balauſtiorum
Nux cupreſſi
Cupulæ glandium
Gallæ Turcicæ
Cortices granatorum
tamariſci
fraxini
Gum. ſanguis dracon.
Succ. hypociſtidis
acaciæ.

E

Ex his præparata, vt ▽ *burſæ paſtoris*, *plantaginis* ſunt debiliora: ſed in decocto potiſſimum valent.

c) Animalium.

Spodium, ſeu ebur vſtum
C. C. vſtum
Vnicornu foſſile
Priapus ceti
Os ſepiæ
Dens hippopotami
Lapis manati
Dentes varii calcinati.

Singula hæc parum manifeſtam exſerunt adſtrictionem, etſi oſſa ſepiæ in gonorrhœa & lapis manati densque hippotami in hæmorrhoidali negotio non plena manu offerre licet.

Externo vſui ex vegetabilium claſſe apta ſunt
Fungus chirurgorum
Farina
♀ *gummi arabici*
tragacanth.
♀ *tabaci ſubtilior.*
& plura ſeorſim indicanda.

Ex animalibus
tela araneorum
pili leporis
ſanguis humanus ſiccatus & ♀iſatus.
taurocolla
ichthyocolla.

§. DCXXXII.

Adiiciendum eſt cum adſtringentibus ſymbolizare ea, quæ ſub claſſe incraſſantium ſupra adducta ſunt, neque minus ea, quæ inferius referentur ſub claſſe anodynorum: quare vix vlla formula ſine talibus concinnari ſolet.

§. DCXXXIII.

Modus, quo agunt adſtringentia, plane eſt admirabilis, quippe ſæpius viſum eſt, modicam eiusmodi medicinæ portionem vix deglutitam adſtrictionis effectum in loco remoto dediſſe. Sic memini, me ipſum Halæ in collegio anatomico experimentum feciſſe medicinæ cuiusdam mineralis, inter Dippelii diſcipulos notiſſimæ, vbi cani menſæ alligato viuo arteriam cruris aperuimus, & fortiſſime fluente ſanguine guttulam vnam vel alteram ori infudimus, quo vix facto ſanguis ſalire deſinebat inque ora vulneris coagulabatur.

§. DCXXXIIII.

Certe concipi nequit, qui potuerit fieri, vt tantilla quantitas, quæ in ventriculum peruenire ne quidem potuit, corpus materialiter peruaderet & ad locum affectum perueniret: Et ſi perueniſſet omnino, quis liquido indicabit, quo pacto arteriæ foramen conſtrinxerit, an agendo potius in eius tunicam,

an ſanguinem coagulando, an affluxum omnino cohibendo.

§. DCXXXV.

Aliquid e longinquo ſuſpicandi potius, quam intelligendi locum faciunt per corpus noſtrum admirabili modo diſtributi nerui, qui non ſolum vaſorum tunicas paſſim ſubeunt, ſed quorum etiam inſignes, & magnum artificium præ ſe ferentes plexus ramos vaſorum ſanguineorum paſſim circumdant & amplexantur, præcipue arterioſos, vt & ad hepar properantem venam portæ; quos fruſtra ſic factos non fuiſſe, quiuis facile concedet: ſed quid omnino faciant, & quomodo, quoque pacto ad agendum excitati per medicinas in ventriculum demiſſas, id vero, quantum memini, nemo indicauit tam perſpicue, vt intelligi poſſit.

§. DCXXXVI.

Aliqui auctores putant explicari hanc rem poſſe, ſi in fluida agere adſtringentia ponamus, quod nimirum fibrarum humiditatem imbibendo poros coarctent, hocque pacto compagem earum ſtrictiorem reddant.

§. DCXXXVII.

Hæc doctrina ſupponit alterum duorum, vt nimirum vel ventriculum & inteſtina hoc pacto afficiant, vtpote quas partes proxime contingunt, vt inde fructus huius effectus ad

alias redundet: vel ipſos humores ſubeundo ad partem affectam roborandamque deducantur. Vtrumque vero non niſi ſucceſſiuum profectum promittere & præſtare valet, nec facit ad ætiologiam eorum phænomenorum, quando effectus inſtantaneus obſeruatur.

§. DCXXXVIII.

Quid vero dicemus de illis exemplis, quando medicus non vltimæ celebritatis, D. D. Maior, Miſc. N. C. Dec. I. Ann. III. obſeruatum eſſe prodit, odore ſuffituum ex reſinoſis, myrrha, thure, maſtiche &c. hæmorrhoides bene fluentes fuiſſe ſuppreſſas: vbi certe ætiologia iſta locum nullum inuenit.

§. DCXXXVIIII.

Neque minus admirandus eſt diuerſus adſtringentium effectus, quippe & hæmorrhagias molientes adiuuant inque effectum deducunt, & fluentes cohibent ac ſupprimunt: nec ſolum circa hæmorrhagias talia ſe gerunt, verum reuera circa plerasque excretiones.

§. DCXL.

Sic memini ſtudioſi, nunc doctoris medicinæ, qui ab 80. guttis ℞ ♂is ad modum Ludouicianæ ex ⊕-lo Anglicano paratæ ferocem hypercatharſin incurrit.

§. DCXLI.

Circa diuerſitatem hanc illud tenendum eſt, quod fluere menſtrua, hæmorrhoides &c.

faciant,

faciant, quando, præſentibus moliminibus, notabili quantitate, continuato vſu adhibentur, in ſubiectis ſpongioſioris habitus: iam autem fluentibus, aut quando vaſa fere depleta ſunt, exhibita, conſtrictione fibrarum impediunt ſanguinem effluxurum.

§. DCXLII.

Adeoque multum eſt cauſa, cur circa vſum adſtringentium tempora rite obſeruemus, magisque hic experientiæ, quam theoriæ qualicunque fidamus, præſertim in ſubiectis per ſe ſenſibilioribus, vbi leuiſſima ſæpe alteratio vni parti illata totum ſubito corpus peruadit, & momento ſtatum eius mutat.

§. DCXLIII.

Sed videre oportet, quibus temporibus & morbis adſtringentia potiſſimum indicentur, & ad quem gradum progredi in vſu illorum liceat.

§. DCXLIIII.

Poſtulant igitur leniorem tonicam & ſucceſſiuam adſtrictionem generalis totius corporis laxitas cachectica, quam prudenter adhibita remedia ♂tialia optime omnium emendant, exiguis doſibus ſucceſſiue data.

§. DCXLV.

Attendendum autem eſt, an talia in primis viis ſoluantur, adeoque ad effectum perueniant. Si absque hac cautione vſum continuamus,

amus, multaſque doſes in ventriculo inteſtiniſque coaceruamus, fieri ſæpe ſolet, vt ab acido forte ſuperueniente ſimul ac ſemel ſolutæ (metallica enim non agunt niſi ſoluta) vel nimiam & impetuoſam euacuationem, quod plurimum accidit, vel nimiam ſtricturam operentur.

§. DCXLVI.

Signum autem capere licet partim ex alui fæcum tinctura nigricante: partim ex pulſu citatiore & vegetiore, partim ex faciei colore floridiori reddito.

§. DCXLVII.

Vt melius ſoluatur, dari limatura ferri ſubtilis poteſt cum cremore ♀ri; ſcilicet in illis, vbi non certi ſumus, eorum primas vias acido abundare: ſic in ipſis primis viis ℞ quædam ♂is parabitur ſaluberrimo effectui par futura.

§. DCXLVIII.

Hoc pacto optime ſuccurritur femellis menſium diuturno & inueterato vitio corruptis, ipſaque menſtrua, ſi in tempore adhibita fuerint, ſucceſſum legitimum inueniunt.

§. DCXLVIIII.

Neque ſola ♂ialia tonicum hunc effectum præſtant, ſed & vegetabilia plura notantur, quæ ab ipſa natura coniunctas aperiendi vires

cum

cum roborantibus poſſident, aut roborantia aperitiuis coniuncta non exiguo cum fructu præbentur. Sic ariſtolochia, artemiſia menſibus pellendis operæ faciunt pretium, in rhabarbaro ipſa natura laxatiuas vires roborantibus coniunxit, & bryonia, agaricus, hermodactyli excitantur modice adſtringenti tonico adiuncto.

§. DCL.

Idem cenſendum eſt de plerisque veterum methodis curandi febres caſtrenſes & dyſenterias, vbi alexipharmacis iuncta videmus adſtringentia, vt terras bolares, radicem tormentillæ: quin ipſa cortex chinæ febres intermittentes non minus roborante, quam aperitiua efficacia ſalutariter curat.

§. DCLI.

Seorſim etiam vſum tonicorum roborantium efflagitant viſcerum colatoriorum nimiæ relaxationes, vnde fit, vt humores nimia quantitate effluant, vt vſu venit in diabete, quem, ſi quidquam aliud, efficaciter curare licet medicinis ex aperitiuorum & roborantium claſſe compoſitis.

§. DCLII.

Similiter ſudores colliquatiui, eiusdemque generis diarrhoeæ lenem tonicam roborationem poſtulant: nam fortiori potius exacerbantur, totaque res præcipitatur.

§. DCLIII.

§. DCLIII.

Itidem nimis ad vnam partem decumbentes humores & excretiones iuſto copioſiores, vt muci ad bronchia, vnde periculum illius phthiſeos, quam veteres a deſtillatione dixerunt, imminet, poſtulant tonica, præmiſſis, quæ transſpirationem in ſuperficie, & excretiones tam aluinam, quam renalem excitare valeant.

§. DCLIIII.

Adſtringentia poſitiua nonnumquam poſtulat ſumma neceſſitas, quando ſanguis impetuoſe per certa loca, cum manifeſta virium iactura, euacuatur, ſiue illa excretio ſponte ſuborta ſit, ſiue vulnus conſequatur: quo vltimo caſu externa potiſſimum adhibenda ſunt.

§. DCLV.

Quanta cautione hic verſari oporteat, ſuo loco dicendum erit, vbi de hæmoptyſi, menſtruis nimiis, lochiis, cet. dicemus.

§. DCLVI.

Similiter fluxus alui, ſeminis, ſi vel priores impetuoſi ſint, vel poſterior diuturnus, iamque corrigentibus ſatis datum fuerit, omnino admittunt adſtringentia & retinentia.

§. DCLVII.

Sed ea cautela ſit, vt, a leniſſimis incipientes,

tes, ad fortiora per gradus deueniamus: &, ne ſolæ viæ conſtringantur, ad incraſſantia, ex parte humorum, & anodyna ſeu lenientia ſimul aliquam auxilii ferendi partem deſeramus.

§. DCLVIII.

Quin in externis etiam caſibus non promiſcue licet ad adſtringentia feſtinare: vtique in vulneribus multis pro læſi ſalute eſt ſanguinem ſatis fluere, præſertim ſi grauior iracundia aut ſanguinis commotio per ♀eum exercitium fuerit prægreſſa: neque chirurgi operatione peracta nimis feſtinare ad ſanguinis cohibitionem ſolent aut debent, niſi vaſa inſigniora læſa vitæ citam iacturam minitentur: ſicque, ſi fieri poteſt, vt in cruris amputatione Galli ſolent, arteriæ maiores quærendæ & filo conſtringendæ ſunt, vt interim ex fibris ſciſſis ſanguis melius exprimatur & effluat.

§. DCLVIIII.

Adſtringentia in vlceribus, præſertim antiquis, non debent nimis larga audacique manu adhiberi: præſertim reprimentia, vt ſulphur & ♀ea: quam celerrime enim ad interiora materiam repellunt, & ſæpe grauiſſimas noxas inducunt.

§. DCLX.

Si poſt diuturnos ſanguinis fluxus medicinarum

narum adſtringentium vſu, dum moderam
voluimus, plenaria illorum ceſſatio cito ſub
ſequuta ſit, circumſpectiſſimum oportet eſſ
medicum, attentiſſimoque ſpectare ſtudio,
forte humores aliorſum conuertantur & exi
tum quærant: quoniam ſubitarum mortium
cauſæ ex his initiis non raro ſuccreuerunt.

§. DCLXI.

Spectet inſuper, an aliqua ſimul ex reliqui
excretionibus ordinariis cohibita ſit: v. g.
res cum hæmorrhoidibus fuerit, an aluus ſi
conſtricta, quo caſu capiti vel pectori metu
endum fuerit.

§. DCLXII.

Quoniam poſt adſtrictionem, quam vehe
mentes & præcipites hæmorrhagiæ poſtula
uerunt, non ſolum conſtrictio vaſorum, ſe
eorundem prægreſſa magna depletio & ex
nanitio conſiderationem medicam requirit
opus eſt, diætam analeptico-diluentem inſti
tuere, vt & humores boni ſufficienti quant
tate reparentur & collapſos canales facil
ſubeundo ſenſim iterum eosdem expandan
ſicque libero tranſitu facto œdemata præ
occupentur.

SECTI(

SECTIO II.

DE RELAXANTIBVS.

§. DCLXIII.

R*elaxatio* eſt actus therapeuticus, quo fibræ ſolidæ vltra modum tenſæ, ac rigidæ remittuntur & in tantum relaxantur, vt circulus humorum vitalis libere & æquabiliter ſuccedere per illas queat, conſequenter humorum ſtagnationes, fibrarum dolorificæ tenſiones, aliaque inde orta ſecretionum & excretionum vitia tolli emendarique poſſint.

§. DCLXIIII.

Quemadmodum roboratio & adſtrictio atoniæ & flacciditati, ſic relaxatio ſpasmodicæ earum ſtricturæ medetur: hocque differt a reſolutione, quæ non tam ſolidas, quam fluidas potiſſimum partes pro obiecto habet.

§. DCLXV.

Relaxationis effectus eſt circulatio æquabilis, ſecretionum & excretionum legitimus ſucceſſus, dolorum, congeſtionum, partisque ad motum liberum ineptudinis remotio. Quæritur autem & obtinetur per interna & externa ex ſequentibus concinnanda.

a) ex regno minerali

🜕
🝉 🜕i dulcis
🝉 ⊖li d.
🜕 ♁iatum.
Cinnabaris
🜍 mineral.
🜄 dulcis, præſertim calida & vegetabilibus alterata.
balnea 🜄 dulcis tepida
pediluuia
inſeſſus
fotus

b) ex regno vegetabili

radix glycyrrhizæ
althææ
cepar.
fœniculi
graminis
maluæ
liliorum albor.

herb. maluæ
althææ
atriplicis
brancæ vrſin.
chamæmeli } *c. fl.*
meliloti }
mercurialis
verbaſci
violarum
parietariæ

Fl.

Fl. liliorum alb.
maluæ
meliloti
chamæmeli
violarum
verbaſci
linariæ
Semen lini
auenæ
hordei
fegopyrum
fœni græci
cydonior.
Pſyllii
ſeſami
Fruct. dactyl.
ficuum
ſebeſten
pruna dulc.
amygd. dulc.
Gumm. ammoniacum
galbanum
Reſina terebinthina
oliban.
Olea amygd. dulc.
rapar.
lini
chamomill.
verbaſci
anethi
lilior. alb.

papaueris
capparum

c) Ex regno animali

ſaliua hominis ieiuni
mel
butyrum
pinguedines animalium, vt humana, taxi,
iubæ equorum, murium alpinorum, ceti
medullæ
ſperma ceti
cera
vitellus & 🝆 ouorum, 🝆 ſcorpionum
🝆 vulpis.

Ex compoſitis:

vnguentum pectorale
populeum
dialthææ
nutritum
de linaria.
Empl. de ammoniaco Foreſti
galbano croc.
hyoſcyamo
meliloto
cicuta
diachylon ſimpl. & compoſit.
de ſpermate ceti
ranarum.

Symbolizant autem cum his iterum blanda anodyna & externo vſu etiam paulo fortio-

ra

ra. Decoquuntur autem potiſſimum cum lacte. Sæpe cataplaſmatibus bono conſilio additur farina.

§. DCLXVI.

Agunt relaxantia potiſſimum humiditate quadam lubrica, mucilaginoſa-pingui, minus acri, quæ, vbi iuuante calore parti laboranti ſeſe inſinuauit, illius fibras flexiles & molles reddunt, rigiditateque ablata dolorem auferunt, dum humoribus liberum & æquabilem influxum, naturæ legibus conformem, recuperant & aperiunt.

§. DCLXVII.

Externis remediis fere certior & manifeſtior effectus hic conceſſus eſt, quam ipſis internis, quæ ad locum affectum non ita immediate admouere ſemper licet: quare non mirum, veteres illis plurimum detuliſſe, & potiſſimam fere partem praxeos ſuæ poſuiſſe in horum externorum perito vſu.

§. DCLXVIII.

Sic in rigore febrium intermittentium, potiſſimum quartanæ ſpinam dorſi inungebant oleis, præcipue chamæmelino, aut pinguedine caponum, gallinarum, anſerina, ſimilibusque, easque ope caloris & blandæ frictionis, vt profundius penetrarent, adiiuuabant, eo-

que impetrabant, vt paroxyſmi & leniores & breuiores redderentur.

§. DCLXVIIII.

Sic humiditatis ſubtilis & blandi caloris effectum ſpectare ſæpe licet poſt vulnera grauiora vel ipſis articulis vel prope illos, illata, quando poſt conſolidationem rigiditas aliqua in parte remanet: quo caſu fotus crebri & balnea ſpem ſæpe & opinionem ſuperant.

§. DCLXX.

Similiter & doloribus vehementibus a calculo vreteribus impacto & in deſcenſu hærente nihil potentius eſt ad opem balneis ▽æ dulcis tepidis, quibus furfures incocti ſunt: item clyſteribus emollientibus, & veſicis eiusmodi decocto repletis lumbari regioni applicatis: nam dum rigiditatem fibrarum ſpasmodicam relaxando tollunt, deſcenſum faciliorem reddunt, doloribusque promte medentur, niſi calculus impactus maior forte ſit, & ſucceſſum impediat.

§. DCLXXI.

Porro relaxantia externe vtiliter adhibentur in viſcerum infarctibus & ſcirrhis, dum interim reſoluentibus & aperitiuis interne potiſſimum pugnatur.

§. DCLXXII.

In ambuſtione manifeſtiſſimus fructus eſt exter-

externorum, vbi ſub primo initio adhibita ſæpe ſeceſſionem partis ambuſtæ impediunt: quod ſi præſtare amplius non licet, tamen dolorem demulcendo & ſedando iuuant, ſeceſſionemque adiuuant.

§. DCLXXIII.

Vbi res ad ſuppurationem ſpectat, eandem valde adiuuant, ſaltem vt minori cum dolore peragatur, præſtant. Nam quum in ſuppuratione fibræ quædam, vel membranoſæ vel carnoſæ a ſano debeant abſcedere, emolliendo partes illas ſeceſſionem & promouent & minori cum dolore fieri præſtant.

§. DCLXXIIII.

Hoc ſcopo adhibenda ex vegetabilibus & animalibus potiſſimum deſumuntur, quæ mucilaginoſa emplaſtica virtute ſimul poros occludunt, vt humiditas minus exſpiret, ſicque fibræ molliores maneant, abſceſſuque perfecto pus molle & æquale generetur.

§. DCLXXV.

Talia ſunt mel cum farina ſubacta, ficus, mucilagines indeque paratum emplaſtrum diachylon, cepæ aſſatæ & in pultem redactæ, reſinæ & ſimilia: cataplaſmata etiam cum lacte cocta.

§. DCXXVI.

Denique relaxantia quoque in tuſſi ſicca,

 fero-

ferociori conuulſiua locum inueniunt, nec non in alui conſtipatione, vbi repetenda ſunt, de clyſteribus ſuo iam loco dicta: nec non de expectorantibus.

§. DCLXXVII.

Tandem in aridura partium & contracturis, itemque in vitiis a paralyſi inductis relaxantia hæc cum inferius indicandis motuum excitationi idoneis neruinis dictis requiruntur coniungenda.

SECTIO III.

DE IMPELLENTIBVS SEV MOTVM EXCITANTIBVS.

§. DCLXXVIII.

Hactenus egimus de fibrarum aptitudine ad motum ordinarium & naturæ conuenientem conſeruanda, aut eadem amiſſa per remediorum idoneorum vſum inſtauranda, nimiam flacciditatem per adſtringentia tollendo, nimiamque adſtrictionem vel rigiditatem per relaxantia corrigendo: nunc ipſorum motuum vel languentium excitationem, vel omnino deiectorum reſuſcitationem poſſibilem, quibus medicamentis, quaue methodo peragenda ſit, conſiderabimus.

§. DCLXXVIIII.

Motuum excitationem indicat eorundem vel nimia remiſſio, vel plenaria ceſſatio.

§. DCLXXX.

Vtrumque vitium vel in toto corpore obſeruatur languido & viribus deſtituto, cui ſuccurrimus per analeptica: vel in certa tantum parte, cuius vel debilitas, vel ad motum impotentia apparet, cui ſuccurrimus neruinis motum blande exſtimulantibus vel internis vel externis.

§. DCLXXXI.

Hæc vltima a veteribus in varias claſſes diducta cernimus, vt alia ſint cardiaca, alia ſtomachica, alia cephalica, alia vterina, alia aphrodiſiaca &c. ſed hæ diſtinctiones non ſatis fundatæ recentiorum plerisque videntur, adeoque vix ſerio amplius ſtatuuntur.

§. DCLXXXII.

Speciales indicationes infra videbimus: nunc ſyluam remediorum ingrediemur.

§. DCLXXXIII.

Ex minerali regno plura laudantur, quam vere talia eſſe deprehenduntur. Sic gemmæ, aurum & forte alia per ſe talia non ſunt: calces gemmarum fibras roborando aliquid præſtare ſupra dictum eſt: ex auro præparata quædam non ſunt contemnenda, vt eſſen-

tia dulcis, tincturæ quædam ſolares: ſed quod auctores fere ſancte celant compoſitionis ſeu præparationis rationem, iudicium hic ferre difficile eſt.

§. DCLXXXIIII.

Ex marinis ambra, eiusque eſſentia eſt nobile medicamentum & maxime languidos reficere aptum, ſi cum debitis cautelis adhibeatur. Corallia, eorum ℞. ſyrupus &c. margarithæ.

§. DCLXXXV.

Nec ſuccinum omnino eſt contemnendum: magis tamen eius oleum vſui potiſſimum externo conducit: quo viribus par oleum petræ etiam referri debet. ⊖ quoque 🜂le ſuccini eſt bonum.

§. DCLXXXVI.

Etiam ∽⊖✳ci externo vſu ad odorandum & aliquando etiam ad illinendum bono fructu adhibetur: præſertim maritatus ♉is & ∽ibus plantarum grato odore præditarum.

§. DCLXXXVII.

Ex præparatis regni mineralis certo reſpectu huc referri poſſunt ∽⊕-li, ♀ris, clyſſus ♁ij, ∽⦶i dulcis.

§. DCLXXXVIII.

Ex vegetabilibus huc pertinent, aut ſaltem referuntur

A.

A. quæ dulci aut ſubdulci blande tamen ſalina mucilagine conſtant, vt

rad. ginſing
apii hortenſis
fœniculi
eryngii
rapunculi
ſatyrii
tubera ▽*æ*
boletus ceruinus
capitum cinaræ} caro pul-
carlinæ} poſa.

Fructus emulſionibus apti, vt *amygdalæ, pineæ, piſtachiæ, cacao*, indeque parata *chocolada. cocos.*

Semina cinaræ
napi.

B. quæ acrimonia quadam ſalina penetranti fibras ſtimulant, & ex parte ſimul humores expandunt & commouent.

rad. cyperi
galangæ
iridis fl.
pimp. albæ
zingiberis
Herb. abrotan.
maioran.
mari ver.
ranunculi

rutæ.

rutæ
ſatureiæ
eryſim.
Flor. lilior. conuall.
Cort. winteran.
Sem. erucæ
ſinapeos

Quibus accedunt ex claſſe purgantium aliqua perite adhibita, quæ ſubinde magnopere ſtimulare & excitare, tam interno quam externo vſu, ſolent.

C. quæ oleoſo aut alias blando ſulphureo principio humorum maſſæ expanſionem ac calorem conciliant, vnde ſubſiſtentes iam aut fere ſubſiſtentes humores nouum impulſum ſentiunt, ſolidorumque ſimul debilitatæ preſſioni facilius obſecundant, vitalemque circulum ſic de integro ordiuntur. Huc pertinent omnia fere aromatica, & herbæ odoratæ 🜕um æthereum fundentes; potiſſima ſequuntur:

Rad. angelicæ
imperator.
mei
calami aromatic.
leuiſtici
carlinæ
Herbæ & ſummitates cum floribus
meliſſæ

menthæ

menthæ
origani
pulegii
roriſmar.
rutæ
ſaluiæ
ſerpilli
thymi
Flores aurantiorum
citri
lauendulæ
ſpicæ
roſarum
croci
Cort. aurant.
citri
cinnamomi
caſſiæ
Lign. aloes
ſaſſafr.
Rhodium
Sem. ammios
aniſi
cardamom.
cumini
dauci
Caryophylli aromatici
Piper
Cubebæ
Balſam. Peruuian.

Gummi

Gummi benzoes
anime
elemi
maſtiches
oliban.
ſtyrac. calam.

Ex vegetabilibus præparata.
Vinum
🝉 *&* 🝆 *vini*
Eſſentiæ radicum & plantarum, vt & *cortic. lignor.*
🝆 ꝺ*ta* parcius interne, largius externe adhibenda.
🝉 ab his *abſtractitii*, aut *per fermentationem facti.*
balſama vel *liquida* vel *craſſiora*, quorum aliqua etiam interno vſui apta ſunt: vt celeberrimum balſamum vitæ D. D. Fr. Hoffmanni.

§. DCLXXXVIIII.

Ex animali regno, ne dicamus de iis, quæ nutriendo agunt, potiora ſunt
Cantharides
Coccinella
grana kermes
confect. alkerm.
caſtoreum
moſchus
zibethum

formi-

formicarum ~
c. c. ~
⊖ △*le c. c.*
lumbricor. ~
viperar. ⊖ △*le &*
~.
ſcincus marinus
bezoar orientale
occidentale
ægagropila
oſtreæ
ſardellæ
haleces.

§. DCXC.

Præparata & compoſita, ſiue officinalia, ſiue paſſim commendata, longum foret omnia adducere: ſed horum iuuat meminiſſe:

∇ *cinnamom. ſ. v.* & *c. v.*
c. fl. cordialibus
cydoniata
rubi idæi
naphæ
roſar.
meliſſæ
ceraſor. nigr.
borragin.
bugloſſ.
cordial. temperat.
& *frigida*
confortat. Norimberg. D. Camerarii
carbun-

carbunculi
e chelis ♋
Srup. rubi idæi
de toto citro
+toſ. citri
granat.
corallior.
fl. tunic.
cordial. Norimberg.
Iulepus cordialis gemmatus
perlâtus Sydenham.
Decoct. citri Mynſichti
c. c. ☉rat.
bezoardic. ☉re
ſpec. cordiales
de gemmis frigid.
diamargarit. frigid.
de hyacintho
diambr.
diamoſchi
diacinnamomi
eſſ. ambræ
℞ corallior.
elixir cordiale Timæi
⊖ 🜂le ☋ſum
confectio de hyacintho
cordialis reg. Zwelf.

Atque hæc fere ſunt pro vſu interno. Con-
ſeruarum non memini, quia facile ſuccur-
runt herbas commendatas percurrenti

Pr

Pro vſu externo

ad odorandum & illinendum, vt & ad epithemata

+tum roſac.
rubi idæi
bezoardicum
peſtilentiale
rutæ
⌒ roſarum.
⌒ fl. lauendul.
⌒ anthos.
▽ pro epithem. cordis
⌒⊖✱ci ☍is maritatus
balſama varia, vt apoplecticus &c.

ad ſtimulandum & rubefaciendum

Rad. allii
cepar.
ſcyllæ
pyrethri
Herb. ranunc.
perſicar.
flamm. Iouis
Sem. erucæ, ſinapeos
Empl. veſicatorium
Ferrum plus minus ignitum & parti admotum.

Plura manuum opera peragenda, *frictiones* vel panno aſpero vel excutiis, titillatio faucium vel narium *cum pluma* &c.

§. DCXCI.

En ſyluam remediorum qualitercunqu digeſtorum: de quibus ſic ſtatuendum exi- ſtimo: aliis vtendum eſſe, vbi temporis mo- ram res indulget, & vbi vires ex morbo præ- greſſo erigi excitarique debent: aliis, vbi ca- ſus ſubitus incidit.

§. DCXCII.

Priori caſu motuum omnium vitalium na- turaliumque ſucceſſum optime promouent erigunt, excitant, quæ maxime ad alimento- rum claſſem pertinent, atque ex ea repetun- tur: ſiue ad vegetabile, ſiue ad animale re- gnum pertineant: hac tantum cautela adhi- bita, vt pro conditione ſubiectorum refecti- onis negotium prudenter inſtituatur, & pe- gradus vrgeatur.

§. DCXCIII.

Atque hoc vsque adeo perpetuum eſt, v etiam in iis, qui a ſubita motuum intermiſſi- one, v. g. apoplectica, reuocantur, & para- lytici redditi ſunt, nihil facile conducat ce- tius, quam quod effoetas ſanguinis vires no- uo quaſi vitalitatis balſamo erigat: id eſt quod digeſtionem, chylificationemque bo- nam præſtando ſanguificationi idoneæ ſuc- currat.

§. DCXCIIII.

Sed in ſubitis caſibus, v. g. ſi quis ſubito lipothymia correptus, aut apoplecticus, concidat, nullus eſt locus illis e longinquo agentibus, ſed ſtatim reuocandus eſt ægrotus efficaci aliquo auxilio: eoque vel priuatiuo in homine inſigniter plethorico, ſanguinem ſubtrahente: vel quod irritationem & ſtimulationem inſignem adferat, vt vomitorio, clyſtere acri, odoriferis ſenſum hunc valde ferientibus, cauterio & ſimilibus.

§. DCXCV.

Leuiori caſu odores fere ſufficiunt, aut adſperſiones aqua frigida, vino, aceto, factæ, ſitus erecti in horizontalem mutatio.

§. DCXCVI.

Maioris momenti res eſt in virium deiectione motuumque defectu, qui ſatis ſæpe ſubito in malignis febrilibus morbis obſeruatur vſuque venit: vbi nihil magis eſt roborans & vires deiectas erigens, quam quod malignitatem craſi humorum vitalium inimicam tollit.

§. DCXCVII.

Atque hac potiſſimum intentione alexipharmacorum potiſſima in claſſe motus excitantium fuere laudata & propoſita, quorum legitimum vſum, ſi quis modo locus medicinæ fuerit, virium erectio promte ſubſequitur,

tur, per transſpirationem, ſudorem, ⊡am au-
ctiores excluſo omni eo, quod noxium hu-
moribus inſederat.

§. DCXCVIII.

In iisdem morbis, vbi affectus ſoporoſi im-
gruunt, aut pulmones nimis infarcti propel-
lere ſanguinem non valent, ſtimulando egre-
gie proficiunt externe adhibitæ cantharides
ſeu emplaſtra veſicatoria: agunt enim in hu-
mores reſoluendo & attenuando; inque ſo-
lida motum excitando. His aliqua lenior
ſunt, vt phœnigmi, leuiori gradu morbi no
contemnenda.

§. DCXCVIIII.

Vbi ab humorum ſolidorumque motus fe-
riatione per talia quis reuocatus fuit, no
negligi deinceps debent diluentia & nutriti-
ua tenuiora, quibus efficiatur, vt ne ſangui
ſpiſſior, vires motrices ſua grauitate & im-
mobilitate ſuperans & opprimens, idem ma-
lum reducat.

§. DCC.

Motum excitare in parte, cuius nerui au
tendines motorii abſciſſi ſunt, nulli arti po-
ſibile eſt, niſi forte, recenti adhuc malo, ten-
dinis ſutura feliciter ſuccedat.

§. DCCI.

Vbi autem poſt longos dolores, aut gra-
uiorem

uiorem contuſionem, vel ab apoplexia paralyticum quid inſequutum fuit, vel prorſus ſine notabili externa læſione exortum fuit, locum inueniunt externe, quæ fibrarum ſtricturam relaxant & rigiditatem emendant: tum quæ particulis reſinoſo-🜍eis in humores penetrando illos expandunt & in fibrarum intimos receſſus impellunt.

§. DCCII.

Concinnentur igitur ſacculi, vel fotus ex vegetabilium claſſe B. & C. vtque magis penetrent forti frictione, vrticatione, quin flagrorum vſu adiuuentur: quorum tamen vſus ita modeſtus eſſe debet, ne inflammatio illis excitetur, quippe tali caſu & ſtatu facile in gangrænam ſphacelumque ruens.

§. DCCIII.

Quibus non ſatis proficientibus thermæ ad vſum internum externumque prouide vocentur: quæ ſanguinem in genere diluendo & emunctoria aperiendo, exterius autem ſimul relaxando & in fine iterum roborando ſæpe felicem effectum ſortiuntur.

§. DCCIIII.

Non ſemel, ſed ſæpius viſum eſt paralyticos & hemiplecticos fortuitis caſibus fuiſſe feliciter reſtitutos, vt graui terrore cum deſiderio inſtans malum euitandi: e. g. incen-

dio, hoſtium ſubita irruptione: quin obſeruatum eſt, aliquem lapſu ab alto fuiſſe feliciter curatum.

§. DCCV.

In particulari debilitate partium non tam paralytica quam flaccida, vt ſegnitie in venerem, etiam ad neruina confugere ſolemus interne & externe adhibenda: deſumuntur autem illa potiſſimum ex vegetabilium claſſe A, & regno animali: Externo autem vſui conueniunt ex 🝆is vegetabilium & ∽uoſis concinnata linimenta. Sed raro hæc operæ pretium faciunt, vbi intempeſtiua & irrita venus puerilis partes has flaccidas aut nimis patulas reddidit, vt nec ſanguis per arterias in corpora cauernoſa influens, illa ſatis extendat, nec veſiculæ ſeminales ſatis amplæ ſint, vt ſemen vsque ad tempeſtiuam eiaculationem retineant, tumque vegete expellant: Conf. Hoffmanni medic. conſultat. tom. II. p. 168.

§. DCCVI.

Si quidquam tamen hoc caſu, certe præ reliquis ambra, opium, & cantharides; deinde rad. Satyrii operæ faciunt pretium: incredibili tamen cautione opus eſt, ne totum curationis negotium feſtinando aut excedendo præcipitemus.

§. DCCVII.

Sed nemo facile ſuaſerit talium vſum crebro multumque inſtituere: quum non pauca ſuppetant eorum exempla, qui vel leniorum continuato vſu rationis officinam penitus peruerterunt, mentisque vſum amiſerunt: vel exceſſiuorum abuſu vitæ incurrerunt periculum.

§. DCCVIII.

Valde etiam errari poteſt, quum falſo accuſatur partis cuiusdam imbecillitas, eiusque tollendi cauſa excitantia præbentur: vt in palpitatione cordis, ventriculi imbecillitate, quando ſpe roborandi calidiora præſcribuntur, quorum vſu ſanguis magis expanditur, & anomali ipſius motus vel intenduntur, vel euagationes ad alias partes prouocantur.

§. DCCVIIII.

Si quis operæ pretium tota hac therapia motuum excitandorum facere velit, quod quidem ex dictis iam intelligitur, ad ſanguificationem bonam, ſanguinisque quantitatem, qualitatemque laudabilem in primis reſpiciat, & quicquid horum vni vel alteri officit, ſtudioſe prius emendet: ita fiet, vt ſæpe vix ſperanda impetrare liceat.

§. DCCX.

Pertinet huc quicquid de rerum n. n. recto

cto vſu præcipi poteſt: in primis vero aeris optima conſtitutio & victus, quare non raro videmus iter, vitæque mutatum genus, animi alacritatem redeuntem, aliasque ad id genus pertinentes in melius factas mutationes, hominem ante deſperatum viſum reddidiſſe ſibi & optimæ valetudini.

§. DCCXI.

Tandem monendum eſt, nonnulla ex commendatis exigenda eſſe ad indiuiduorum curandorum idioſyncraſiam, a medico explorandam: ſic ambram, moſchum & zibethum, quæ remedia alios valde iuuant, alii ferre abſolute nequeunt. Vidi adoleſcentem, qui ſyncope corripiebatur, vbi quicquam de rore marino intus adſumebat: nec facile conſpectum eius, multo etiam minus odorem tolerabat.

SECTIO IIII.

DE SEDANTIBVS, SEV MOTVM TEMPERANTIBVS.

§. DCCXII.

Motuum *ſedatio* ſeu *attemperatio*, eſt actus therapiæ alterantis, quo motus vel incongrui ſedantur, vel modum excedentes ita

attem-

attemperantur, vt ad iuſtum debitumque ordinem redeant.

§. DCCXIII.

Motus incongrui vocantur, qui abſolute tendunt ad detrimentum œconomiæ vitalis, vt quando ſanguis ad pulmones congeritur, ibique detinetur, tandem perrumpit, quem motum congrua ratione compeſcere & ſedare omnino decet: motus nimii ſunt, qui quidem ſecretiones & excretiones, tamquam ſanitatis conſeruandæ & reparandæ ordinarias vias & inſtrumenta reſpiciunt: ſed vltra modum intenduntur cum incolumitatis & vitæ periculo: aut ſaltem magna dolorum moleſtia, nullum tamen vitæ ſanitatique operæ pretium facientes afferunt.

§. DCCXIIII.

Huius generis motuum vitia emendantur, vel ſimpliciter temperantibus, magis in fluida quam ſolida agentibus, vt ſunt nitroſa: itemque relaxantia, de quibus ſupra egimus, partes ſolidas magis reſpicientia: vel blandioribus ſedatiuis, demulcentibus internis & externis, vt ſunt ex cynogloſſa, cinnabarina: iterum multa inter relaxantia iam adducta: vel denique poſitiue narcotica ſeu opiata.

§. DCCXV.

Indicabimus prius materiam, ex qua remedia depromenda ſunt.

A. Leniſſima:

🜕um
🜕 regeneratum
🜕 ♁iatum
cinnabaris
♁ium diaphoreticum
🝓 🜕i dulcis
🝓 🜔li dulcis
clyſſus ♁ij
🝓 🜔li

Herbæ, radices, flores:

thea
acetoſa
acetoſella
cynogloſſa
lactuca
borrago
portulaca
endiuia
nymphææ } *potiſſimum externe*
ſolanum }
nicotiana }
valeriana
millefolium
maluæ flores
chamæmelum

Semina, nuclei, fructus:

ceraſorum }
perſicorum } *externe*
amygdal.a. }

auenæ

auenæ
milii } *externe*
ſegopyri
4. *frigida maiora* } *emulſion.*
minora

papauer.
gelatinæ
lac
ſerum lactis
vitellus oui

Animalia:

♀ *lumbricor.* 🜃*ſtr.*
raſur. cran. humani
c. c. ſ. 🜂*e ppt.*
mandibul. lucii piſcis
dens apri
hippopotami
lap. ♋*rum.*

B. Mediocria

cynogloſſa intern.
ſemen hyoſcyami
ex nymphæa parata
belladonna externe
ſyrupus e peto
ſl. papaueris rhoead.
cap. papaueris
ſem. papau.
🝆 *animale Dippelii*
caſtoreum

moſchus

moſchus
ſemen lycopodii
🜍 vegetabile corylor.
crocus extern.
puluis Marchion.

Præparata & compoſita, quæ pro adhibendi modo & gradu etiam leniſſima & fortiſſima cenſeri poſſunt

Laudanum liquidum Sydenhami gt. x. xij
Theriaca Andromachi
cœlèſtis gr. ij. iij
Philonium Romanum ʒß *ad* ʒj
Mithridatium
Diaſcordium Fracaſtorii } ʒj
Syluii
Requies Nicolai gr. ij-iij pro infantibus
℞. *de cynogloſſa*
de ſtyrace
ſtarckeyan. } *gr. ij. iv.*
wildeganſian.

Externe 🝆 *de hyoſcyamo, aneth.*
empl. de hyoſcyamo
cicuta
▽ *hypnotic. vnguentum ſomniferum.*

C. Fortiſſima & poſitiue narcotica.
mandragora
opium

fructus

fructus arecc æ
belladonnæ.

§. DCCXVI.

Vt vero diſtinctius iudicari poſſit, quo caſu opus ſit diſtinctorum graduum modo dictorum viribus, potiſſimos indicabimus morbos.

§. DCCXVII.

Ante omnia febres, præſertim præter morem intenſe affligentes, & ad continuarum indolem inclinantes, poſtulant & admittunt vſum temperantium priori claſſe indicatorum, vt ⦶i, ⊖ium mediorum, & abſorbentium, vt & cinnabaris commercio adiuuandi; non omiſſis relaxantibus melioribus interne externeque adhibendis, quin in quartana aperitiuis melioribus & efficacioribus.

§. DCCXVIII.

Tum etiam ſanguinis profuſiones largiores, præſertim per vias periculoſas, quoniam pro fundamento habent partium abdominis nimias ſtricturas, & ſimul ſanguinis expanſionem, vnde inæquabilis & in liberis partibus iuſto celerior circulatio oritur; poſtulant præter temperantia, a quibus merito incipitur, aliquam adiectionem vel interpolationem mediocrium ſedatiuorum: hoc caſu maritandorum cum roborantibus ſeu leniter adſtringentibus.

§. DCCXVIIII.

Similiter aliæ euacuationes impetuoſæ & nimiæ vt hyperemeſes, hypercatharſes requirunt ex mediocrium ſedatiuorum claſſe remedia: quibus plerumque ſatis promte cedunt. Externe iungi debent relaxantia.

§. DCCXX.

Sponte etiam exortæ diarrhœæ, vt in febribus exanthematicis, ⊕i vſum, modo detur cum modico vehiculo, nec nimis multum bibatur, tum etiam blande roborantium & ſimul anodynorum, admittunt.

§. DCCXXI.

Peculiaris eſt methodus Sydenhami, qui in eiusmodi morbis, vbi periculum eſt, ne per emetica vel purgantia peccans materia intro vocetur, ſtatim poſtquam illa ſatis egiſſe videntur, laudanum ſuum, vel aliud ſedatiuum ſubiungit, hocque facto diapnoen laudabilem impetrat, reique ſummæ multum confert.

§. DCCXXII.

Vbi grauiores ſpaſticæ & dolorificæ ſunt exacerbationes, vt in pleuritide, calculo, rheumatiſmis, catarrhalibus affectibus, vſus ſedatiuorum inſignis eſt: hac conditione, vt in pleuritide & calculo potius externa relaxantibus iuncta proficiant: in poſterioribus etiam meliora ex internis præſertim, quæ diapnoi-

diapnoicum effectum relinquunt, habeant locum.

§. DCCXXIII.

In colicis torminibus non ſatis ſunt tuta anodina: potius euacuatio per ſennæ infuſum, aut ♀ gialappæ in ſubſtantia, quippe quæ prius dolores ſedant, tum vero euacuant noxiam materiam, adhibeantur.

§. DCCXXIIII.

Tolerari etiam, quin commendari poſſunt cinnabarina & alia mitius agentia ☿ialia, vbi ſuſpicio eſt colicam a cauſa frigida, pituita lenta inteſtinorum, acrimonias bilioſas per inteſtina euacuari ſolitas fouente & detinente, aut a vermibus, foueri, aut glandularum meſeraicarum obſtructiones in culpa eſſe: ſi quid calidi concurrat eadem ♁ ris Φo mixta & ⊖e quodam medio, rem expediet.

§. DCCXXV.

Eadem cinnabarina, vt & cinnabaris parens æthiops mineralis, tenellorum conuulſionibus & epilepſiis medetur, præſertim ſi qua ex ſpecificis antepilepticis iungantur: credo potiſſimum eam agere cauſam horum motuum, quæ plerumque vel vermes ſunt, vel meſenterii plexuum neruoſorum ſtricturæ, & ad eos propagatæ ſenſationes irritantium cauſarum, ab acrimonia humorum, tranſpiratione prohibita corruptorum, aut per

inteſti-

inteſtinalem canalem decurrentium, partim corrigendo, partim euacuando & diſſipando.

§. DCCXXVI.

Qui cinnabarina pueris data non minus nocere illis, quam infame venenum la poudre de la ſucceſſion Gallis dictum exiſtimant, rideri potius quam refelli merentur. Certe exercitus magni conſcribi poſſent in Germania hominum, quibus in iuuentute cinnabarina ſalutariter data ſunt.

§. DCCXXVII.

Interim non excludo in cinnabarinis æque ac æthiope minerali efficaciam adiecti ♁is, quod expandendo leniter humores, ſicque arteriolarum in cerebro tenuiſſimarum, vtpote tunica craſſa, quæ extra caput eſt in arteriis, carentium, diametros dilatando ampliandoque; dum hoc in infinitis fit vaſculis, interiectam illis medullarem cerebri portionem, ex qua neruorum filamenta compinguntur, comprimunt æqualiter, vnde toti corpori minuitur ſenſibilitas, ſtricturæque inæqualem circulum facientes minuuntur.

§. DCCXXVIII.

Senſim deducti ſumus ad ætiologiam ſedatiuorum ſopientium & ſtupefactiuorum indagandam: quæ in plerisque ſi non ad conuictionem omnimodam ſufficiente certitudine, tamen veroſimillime deducitur a ſulphureo,

quo

quo pollent, principio ſanguinem expandente, & ſic principium neruorum plus minus afficiente: ſub quo ſtatu etiam ſanguinis progreſſus antea citatior aliquantum inhibetur, & ſomnus inuitatur.

§. DCCXXVIIII.

Sed magna differentia eſt eorum, quæ id præſtare valent: aliqua enim hoc faciunt absque eo, vt humorum progreſſus valde impediatur, aut prorſus ſuſpendatur, vt vinum modico vſu vere νηπενθὲς, & primo excitatorium, mox blandam quietem inuitans.

§. DCCXXX.

Cuius vires pro ſenibus & debilibus exaltare licebit croco prudenter admixto: quod verum ſenectutis, præſertim doloribus obnoxiæ, ſolatium & aroma præſtat: mulieribus etiam non valde ad ebullitionem ſanguinis pronis egregie confert, præſertim in dolorificis menſium moliminibus & ſucceſſibus.

§. DCCXXXI.

Eiusdem cenſus mihi videtur eſſentia dulcis Halenſium, eorundemque tinctura ſolis, quæ nihil aliud eſt, niſi eſſentia d. concentrata: item ⏜ ⦶i dulcis ⏜ ⊕-li dulcis, ſeu liquor anodynus exc. D. D. Hoffmanni, 🝆 animale Dippelii: quippe blanda expanſio, quam ſucceſſiue peragunt, inſequente fructu anodyno, in his medicinis eſt conſpicua.

(Schulz. therap. gen.) R §.DCCXXXII.

§. DCCXXXII.

Aliquanto grauius eſt opium, a tam longo tempore in ſcholis medicorum ab his laudatum, ab illis culpatum: ſed virtus eius omnis reſidet in principio ♀eo expanſiuo, cuius ſe vires, in exigua mole efficaces, potiſſimum exſerunt in cerebro, cuius arteriolas innumeras expandendo ſimul ſoporem & inſenſibilitatem inducit: ſine tamen effectu altero, qui in præcedentibus agnoſci debet, humorum progreſſum vrgendi.

§. DCCXXXIII.

Ex quo conſequitur, opium in affectibus dolorificis cum humorum decubitu, præſertim ad partes teneriores, non ſine ancipiti periculo adhiberi, quum ſtagnationes humorum ad ſtaſin plenariam ducere valeat.

§. DCCXXXIIII.

Agnouere hoc viri quidam prudentes, vt Starckey & Wildeganſius (ſi modo is pilularum, quæ ab eo denominantur, auctor eſt,) qui huic aſino equum, i. e. narcotico fortiſſimo purgans forte iungunt: quæ ſane methodus multum habet in receſſu.

§. DCCXXXV.

Idem forte conſilium fuit veterum, qui opio addiderunt potiſſimum diaphoretica, vt in theriaca, mithridatio, diaſcordio Fracaſtorii, philonio apparet: quibus compoſitionibus pleræque noſtratium vix comparari poſſunt,

ſunt, ſi conſilii, aut ſaltem euentus, bonitatem & iuſtitiam ſpectes.

§. DCCXXXVI.

Neſcio, an ſatis iuſte accuſetur opii, quod proſtat, impuritas, aut malignitas, & an ſpei ſatisfaciant tot excogitatæ & promiſſæ correctiones: quarum aliquæ ſunt caſtrationes, aliæ, vt in Langellotiana methodo, exaltationes.

§. DCCXXXVII.

Hyoſcyamo non tam eſt narcotica vis & ſoporifera vt opio, ſemenque eius ſatis eſt mite & ad paucula grana, vel in ♀e vel emulſione cum aliis ſatis vtiliter datur: ſed magis in rationalem facultatem agere deprehenditur eius radix.

§. DCCXXXVIII.

Fortiſſima narcotica, vt mandragora, datura, arecca non ſatis explorati vſus melius & tutius permittuntur agyrtis, niſi quis de vſu eorum tuto & certo certum quid a fidis hominibus didicerit.

§. DCCXXXVIIII.

Blandum ſomnum inuitandi cauſa opiata valde caute dari debent: ſi leuior eſt caſus, ſufficiunt capita papaueris ſicca in potu ordinario maceranda: aut emulſiones, quibus papaueris ſemen acceſſit, cum aqua papaueris rh. item potiunculæ ſedatiuæ ſyrupo papaueris rhoead. edulcorandæ.

§. DCCXL.

In peculiaribus caſibus, vbi atroces & immedicabiles dolores vrgent, vt in cancro deſperato nec vllam medicinam admittente, miſericordiæ opus eſt ad aliquot horas inducto ſomno dolorum inducias procuraſſe: quo caſu theriacæ cæleſtis gr. j. ij in pilulæ forma offerantur: ſed in podagra melius a talibus abſtinetur, quippe id fere efficientibus, vt paroxyſmo ſuperato ægrotus ſenſum naturalem in parte amittat & obtuſum accuſet, als wenn die Gliedmaßen filßig wåren.

§. DCCXLI.

Vſus anodynorum externus latiſſime patet, & omnino in praxi eſt maximæ commendationis: potiſſima autem res redit ad relaxantia, tonicam ſpasmodicam ſtricturam fibrarum reſoluentia, quæ ſuo loco ſunt tradita. Sed ex iis, quæ poſitiue anodinum effectum facere videntur, eminent in clyſteribus oleum anethi, chamæmeli; ſed in iisdem ad opium & opiata vltra duplam, quæ per os datur, doſin, progredi neutiquam licet.

§. DCCXLII.

In inunctionibus, cataplasmatibusque crocata hyoſcyamus, nicotiana, vt hyoſcyamus Peruuianus, multoque magis ſolanum, eiusque ſpecies, vsque ad id, quod furioſum dicitur, in maxime dolorificis exulceratio-

nibus

nibus, quin gangræna ſphaceloque, diuinam ferunt opem.

§. DCCXLIII.

Antiqua experientia in ſpasmis febrilibus ſenſim infringendis primas defert, vel trochiſcis ex chamæmelo tritis, vel ☍, cui recentiſſimorum auctoritas, quoad vſum internum, inuidendo teſtimonio ſuccurrit.

§. DCCXLIIII.

Vtrum aliquid omnino tribuendum ſit multorum commendationi, vt in vulneribus venenatis theriaca imponatur: equidem determinare non audeo, nulla propria experientia edoctus: ſed negligere data occaſione non auſim.

§. DCCXLV.

Redeo ad vſum internum, addoque opiatorum vſum non omnino excludi debere etiam illis caſibus, vbi videatur maxime id agendum eſſe, vt motus excitentur potius quam moderationi eorum ſtudeatur. Ducit me eo maxime academiæ Altorfinæ perpetuum decus D. D. Mauritius Hoffmannus, qui in vſu quotidiano habuit ad dyſtociam pilulas ex theriaca Veneta, Caſſia &c.

§. DCCXLVI.

Plura de anodynis & ſedatiuis hic addere non videtur opus, quum in praxi ſpeciali eadem ſint ſuo loco commodius, cum omnibus

cautelis ſuis, tradenda. Id tantum nunc adiicimus, infantibus haud offerendas eſſe medicinas ab opio quicquam trahentes: molle enim eorum cerebrum non perfert illam vaſorum dilatationem & humorum hinc dependentem decubitum, vt multis inde exitium, aut ſtupiditas & fatuitas hinc inducta eſſe legatur.

APPENDIX
THERAPIÆ ALTERANTIS
DE
SPECIFICIS.

§. DCCXLVII.

Specifica medicamenta vocantur, quæ certis morbis vel ſimul & ſemel, vel continuato vſu, tollendis, aut certe, quantum operæ pretium ſit, mitigandis, iuſto vſu ſic conferunt, vt ſine vlla proportionata, vel euacuatione, vel ſenſibili alteratione optatæ ſanitatis beneficium reddant.

§. DCCXLVIII.

Dari eiusmodi ſpecifica omnis retro antiquitas credidit & docuit: noſtris autem temporibus aliqui conati ſunt, quoniam eorum agendi modum aſſequi non potuerunt, plane

ne effectum negare, aut ſaltem ad communes remediorum claſſes effectus eorum, quos negare non potuerunt, reuocare.

§. DCCXLVIIII.

Vt vero negantibus ſpecifica dari reſpondeatur, non opus eſt alio argumento, quam experientia, quæ docet, quantæ œconomiæ vitalis & animalis turbæ oriantur a ſpecificis venenis, quando illa ſibi relinquuntur & non præciſe ſpecificis remediis in tempore datis præoccupantur. Exemplo ſit morſus tarantulæ, canis aut lupi rabidorum, philtrorum noxa.

§. DCCL.

De modo, quo agunt talia, præſtat nihil dicere, quam multum rhetoricando tempus fallere. Vix enim mihi perſuadeo, quemquam iuuare poſſe, ad rem intelligendam, ſenſu, vt puto, carentes phraſes, qua talia dicuntur idealiter, archealiter, mumialiter agere, aut ſpiritus delinire, concentrare, figere, aut illos ſigillo, ſeu charactere nouo obſignare, & quæ plura ſunt vocabula, quibus neceſſarium vocabulum NESCIO per ambages exprimitur, quoniam turpe putatur, doctorem publice promotum ſe quicquam neſcire, ingenue profiteri.

§. DCCLI.

Si quid tamen coniecturæ licet, videntur potiori iure ad alterantium, quam euacuantium

tium claſſem eſſe referenda: quanquam in nonnullis etiam ſpecialis quædam euacuatio obſeruatur, ſed tam blanda, vt aliis eandem excretionem certius promouentibus idem effectus non impetretur: & in alio ſubiecto, tali morbo non laborante, eandem excretionem non producant.

§. DCCLII.

Circa ſpecificorum vſum duo præmonenda ſunt, quod ad ſingula pertinet: primo vniuerſalia in plerisque præmitti debere: vtique vbi morbus permittit moram: ſecundo vt iuſtum exhibendi tempus accurate obſeruetur, quippe hac omiſſa cura nihil efficiunt. Iuſtum autem tempus quodnam ſit, in ſingulis, de quibus dicendum erit, annotabitur.

§. DCCLIII.

Dantur autem illa ſpecifica vel interne; vel nude externe applicantur, quorum aliqua, vt ſympathetica etiam ex diſtanti effectum edunt ſatis ſubinde ſenſibilem.

§. DCCLIIII.

Vocantur autem ſympathetica, quæ in corpus noſtrum agunt non immediato contactu, ſed interueniente exhalatione, quæ ab agente ad patiens, vt videtur, propagatur. Sed modum accurate percipere aut exponere videtur difficillimum: quanquam rem negare, ob quotidiana exempla tam maleficiorum, quam curationum minime licet.

§. DCCLV.

§. DCCLV.

Atque optandum ſane eſſet, vt medicis innoteſcerent varii modi maleficiorum, quibus impia ſatanæ organa hominibus & animalibus damna inferunt: forte liceret facilius & felicius medicinam inuenire: quod ſi omnino non ſtatim conſequeremur, poſſemus tamen rogati a iudicibus ſententiam certius & maiori cum fiducia exponere.

§. DCCLVI.

Sed venimus ad claſſes ſpecificorum, ſecundum ordinem indicantium conſiderandas, primoque videbimus antepileptica:

regni 1. vegetabilis
rad. poeoniæ: vſu externo amulet. & interno.
valerianæ
viſcus
fl. tiliæ
🜔 *vegetabile.*

2. animalis. Innumera fere commendantur: meliora ſunt
raſura cranii humani non decocti
vngulæ alcis
ſanguinis humani, vel *ceruini*, vel *aliarum quarumcunque partium* 🜬 *rectificatiſſimum*, ante paroxyſmum datum. vide D. D. Iunckeri diſſ. inaug.
hirundinum aqua 🜄*ta officinalis*
& cum caſtoreo

ſecundinæ humanæ ♀is
▽ picarum comp. Ph. B.
coruus epilept. eiusdem
lumbrici ♁ſtres
talparum cor & hepar.
lacertarum & ranarum viridium hepar.
vrogalli lingua, ventriculus
bilis canis nigri cum vnicornu foſſili ſub-acta.

3. mineralis: ad idiopathicam vix quicquam ſuppetit, ſed ad eam, quæ a vermibus menſium retentione aut retropulſis exanthematibus pendet, valent *cinnabarina* & *æthiops mineralis:* quæ coniungere aliquando ſpecificis ſuperius dictis iuuabit.

Præparata & compoſita:

pulu. epileptic. Marchion.
de guttetta Mayerni
variarum compoſitionum
Stahlii
ſpecific. cephalic. Mich.

§. DCCLVII.

Circa legitimum adhibendi talia modum annotetur, quod non iuuent talia ſpecifica, vbi epilepſia eſt ſymptomatica, e. g. a ſcabie, achoribus retropulſis, menſtruis detentis, vermibus: quin potius tali caſu plus noceant, quam proſint.

§. DCCLVIII.

§. DCCLVIII.

Quod certiſſime fere proſint, ſicubi acceſſionis tempus præſciri poteſt, & vna ante paroxyſmi acceſſum hora exhibeantur: quo caſu plerumque altum ſoporem per multas horas, cum largo ſudore in fronte excitant.

§. DCCLVIIII.

Vbi vero tempus accurate non tenet malum, ſed ad certas præſenſiones aut affectus certos recrudeſcit, exhibenda ſunt ſpecifica, quamprimum mali acceſſus præſentitur, vehiculo idoneo vt ▽ fl. tiliæ, lilior. conuall. hirundin. offic. cum ſyr. fl. poeoniæ.

§. DCCLX.

At vero, ſi prorſus ſine temporis certa obſeruatione reuertatur, optimum eſt, abſtinere a ſpecificis & curioſe indagare, quid ſit, quod malum foueat: quumque tot ſint exempla, vbi a cohibita transſpiratione aut vermibus malum ortum fuit, inſiſtere generalibus cinnabarinis, ♀eis, æthiopi minerali, cum regimine diapnoico, vt cauſæ, quam ſuſpicari potius, quam cognoſcere licet, occurratur. Idque eo magis tenendum eſt in infantibus, vbi ſæpe matres vel nutrices aut agnoſcere nolunt, aut cognoſcere non valent peccata ſua.

§. DCCLXI.

Iuuat etiam hoc caſu proponere vlcerum inuſti-

inuſtionem, ſiue per cauſtica actualia, ſiue potentialia, ſiue cantharides: & deinde fluxum ad tempus aliquod conſeruare.

§. DCCLXII.

Vbi morbus comitialis cum mentis manifeſta corruptione iungitur, ad laxantia & reſpectiue purgantia veniendum eſt: cuius rei exemplum legatur apud Tulpium Obſeru. I, 9.

§. DCCLXIII.

Vbi morbus comitialis a vulua pendere cognoſcitur, proderunt ampla veſicatoria internis feminibus admota.

§. DCCLXIIII.

Ab antepilepticis proxime progredimur ad ea, quæ rationali facultati oppreſſæ vel corruptæ ſuccurrunt: vocantur illa antimelancholica & antimanica.

§. DCCLXV.

Pauca ſunt, quæ hic efficaciter proſunt, vbi vel rationem, a qua malum inductum eſt & fouetur, ignoramus, vel tollere non poſſumus. Ex vegetabilibus ſingulariter laudatur anagallis Punicea, cuius decoctum multis multorum practicorum encomiis effertur. Eſſentiam aliqui præbent: neſcio, an ſatis recte, quum ∽us, quod hic extrahat, parum inueniat.

§. DCCLXVI.

§. DCCLXVI.

Adianto albo ſpecifica virtus in melancholia hypochondriaca tribuitur: ſed videtur agere virtute roborante. Eſſentia eius non eſt plane contemnenda. Nec hyperici flores, indeque extracta eſſentia omnino iners deprehenditur.

§. DCCLXVII.

Ex multis vegetabilibus compoſitus puluis Iulii Palmarii ſæpe operæ etiam pretium feciſſe deprehenditur, præſertim in rabie canina.

§. DCCLXVIII.

Mihi notus & amicus eſt medicus, qui feliciter curauit aliquot vtriusque ſexus homines melancholicos & furioſos ſanguine anatis nigri. Scilicet excipitur ille aceti & ▽æ à ℔ß. calefactis, probeque ſubigitur & permiſcetur, tumque patienti perſuadetur, vt ebibat. Signum boni effectus eſt, ſi ſomnus & ſudor ſubſequantur: ſed omnium exoptatiſſimum, ſi exanthemata erumpant.

§. DCCLXVIIII.

Ceterum talia tum demum, vt dictum eſt iam in genere, proſunt, ſi cauſæ, quæ aliquid ad morbum facere poſſe intelliguntur, correctæ & ablatæ ſint. Inter varias, quæ paſſim

obuenire

obuenire ſolent, rariores eſſe puto lactis ſubitam cohibitionem, & ſcabiei retropulſionem. Fouet autem malum, ſi quicquam aliud alui obſtructio & retentio diuturnior: ex quo intelligere licet laxantium continuatum vſum, vt & eorum, quæ tranſpirationem excitant, vtiliſſime ſubiungi aliis & interponi.

§. DCCLXX.

In illa mentis corruptione, quæ a morſu canis rabidi inducitur, multa ſatisfaciunt auertendo potius, ſi mature obſtiteris, quam curando iuuant, ſi iam hydrophobia adeſt.

§. DCCLXXI.

Externe proſunt, ſed recenti vulnere, ſi imponas eiusdem canis, qui momordit, pilos: aut ſi ſcorpius læſit, ſcorpium contritum &c. 🝆 ſcorpionum.

§. DCCLXXII.

Interne iuuat vel hepar recens canis, qui momordit, ſi fruſtulum eius aſſatum ſumatur, vel exſiccati hepatis aut cordis ♀is ad ʒj adſumatur.

§. DCCLXXIII.

Etiam iungi poteſt puluis Iulii Palmarii, vel acetum antilyſſicum Hannemanni.

§. DCCLXXIIII.

Multi promittunt ſingularia de electuario de ouo, quod ipſum ingreditur nux vomica, vtpote canum generi letifera, adeoque apta & efficax ad venenum rabidi canis ſaliua propagatum, devincendum. Conferunt etiam ſcarabæi maiales. vid. mat. med.

§. DCCLXXV.

Grauiſſima fere eſt mentis corruptio a philtro, cui expugnandæ nondum, quod ſciam, certum remedium inuentum, aut ſaltem cum publico nondum commendatum eſt. Et res eo magis eſt difficilis, quod auctores veriti ſunt in libros referre maleficii rationem, quæ multiplex eſſe poteſt, vt mirum non ſit, ſi, quæ vni profuerunt, in alio fruſtra adhibeantur.

§. DCCLXXVI.

Laudat hoc rerum ſtatu Henricus ab Heer calculum homini exſectum in ♀em redactum cum aqua, aut ſucco naſturtii aquatici propinatum. vid. Obſeru. lib. I. 13. Sed exemplum illud, vbi exhibitum cum fructu vidit, eiusmodi eſt, vt iam potiſſima pars veneni, vtpote in homine iuuene, naturæ beneficio eſſet deuicta.

§. DCCLXXVII.

Ceterum ab aliis etiam, præcipue Cratone, naſturtii magna vis in hoc morbi genere commendata fuit.

§.DCCLXXVIII.

§. DCCLXXVIII.

Chemici fere commendant antimoniata, tam vomitoria, quæ initio morbi ad venenum eiiciendum proſunt, quam diaphoretica, quæ generali effectu non videntur contemnenda: idem puto de ellebori nigri decocto ſtatuendum eſſe.

§. DCCLXXVIIII.

In progreſſu mali optime commendari videntur viperina & lapis bezoar verus, ægagropila, aut ♀ ſecundinæ humanæ ad ʒj, quod vltimum remedium ab Hartmanno in praxi chymiatr. valde commendatur bis de die ſumendum cum aqua vel ∽u theriacali.

§. DCCLXXX.

Ad veneficia & maleficia grauiſſima pertinent, quæ magica nefanda arte hominibus inferuntur, ſtupendos ſæpe morbos producentia: in quibus curandis nimis deficiunt medici, quod non ſolum exſecrandæ artis conſcii celant, quibus & quam variis modis noceant: ſed & medici prohibentur talia litterarum monumentis propalare & propagare.

§. DCCLXXXI.

Quare nec mirum videri debet, ſi tali rerum ſtatu medicina noſtra ſæpiſſime deficit, ſæpeque artium huiusmodi conſcia anus aut ſordidus carnifex plus confert, quam doctiſſimus medicus.

§. DCCLXXXII.

Quæ tali rerum ſtatu maxime commendantur, ſunt fere ſequentia: Mi-

Mineralia.

♁ialia vomitoria & diaphoretica præcipue
ſapa vomitoria Sylvii
variæ gemmæ
mercurius vitæ

Præparata:

vnguentum Carrichteri
Henr. ab Heer obſ. VIII.

Vegetabilia:

abrotanum
antirrhinum
ſideritis
ſenecio
cruciata hirſuta } *in balneis*
artemiſia
hypericum
verbena
filix } *in decoct. & baln.*
rorella
eryngium
ſpica celtica
lunaria
linaria } *in vulneribus catapl.*
lign. tiliæ
viſcus
moly
aſa fœtida
varia gummata

Animalia.

ſcarabei maiales
variæ pinguedines.

(*Schulz. therap. gen.*)

Coniungenda ſunt antimelancholica, am-
thypochondriaca, anthelmintica.

Conſ. D. D. Crauſii diſſertatio de incanta-
tis Ien. 1701.

§. DCCLXXXIII.

In genere notamus, morbos illos, vbi ex-
traordinarii eiusmodi motus, qui incantatio-
ni tribui promte ſolent, concurrunt, haud
raro fundari in phantaſiæ deprauatione inſi-
gni, cui emendandæ vix quicquam efficacius
adhibetur curatione morali ſeueriore. Sup-
petunt exempla epidemicorum mentis mor-
borum nou-antiqua, vbi vnico hoc remedio
ſalus reparata fuit.

§. DCCLXXXIIII.

Sed progredi oportet ad alia. Ad faucium
morbos congeſtorio-inflammatorios ſpecifi-
ca efficacia valere perhibentur fungus ſambu-
ci & herba prunella, radix pimpinellæ, maxi-
meque eius eſſentia ſine vehiculo adſumta.

§. DCCLXXXV.

Inter gargariſmos in primis commendatum
album Græcum: inter cataplaſmata nidus hi-
rundinum.

§. DCCLXXXVI.

Tuſſim conuulſiuam, præcipue metallico-
larum certiſſime, ſi quicquam aliud, conſo-
latur Dracunculus eſculentus, quem Tragum
vocant, ſi ∇ hinc △ta detur. Hac potiſſimum
vtuntur metallicolæ tractus Brunſuicenſis, cu-
ius mineræ potiſſimum ſaturninæ ſunt: ſed
arſe-

arſernicalibus particulis foeta metalla tractan-
tes, vt in Miſnia, maius auxilium exſpectant
a radice peucedani.

§. DCCLXXXVII.

Tuſſim ſiccam phthiſin minantem egregie
uuat aqua leniter ſpirituoſa veronicæ, ab il-
uſtri Stahlio multum commendata.

§. DCCLXXXVIII.

Expectorationem in inflammatoriis pecto-
is affectibus blandiſſime promouet, aut ſub-
ſtentem præmature reuocat caſcarillæ eſſen-
a & extractum.

§. DCCLXXXVIIII.

In tuſſi humida extractum, vt & ſyrupus
eti itemque oxymel ſcylleticum conueniunt:
 metallicis 🜍 ♁ij ☉tum, ſapa vomitoria Syl-
i dextre adhibita.

§. DCCXC.

Ictero flauo & nigro flores cheiri: hepatis
lurationi & infarctui bellis minor egregie
oueniunt.

§. DCCXCI.

Colicæ hæmorrhoidali, vomitibusque ne-
riticorum ▽ ∼uoſa millefolii fert opem
eſentem. Turbis hæmorrhoidalibus, aliiſ-
 circa viſcera V. P. connexa, itemque ni-
is dolorificis hæmorrhoidum cæcarum
uenit infuſum ſummit. millefolii theifor-

§. DCCXCII.

Ad febres quartanas, quin certo vſu etiam
 intermittentes, ſedandas conuenit florum

 cha-

chamæmeli flauedinem exhibere. Quantum cortici chinchinæ tribuatur, notum eſt.

§. DCCXCIII.

Arnicæ flores in congeſtionibus, contuſio nibus, ſanguine inter membranas effuſo tam certa, efficaci, tamque ſingulari ratione opera tur, vt inter ſpecifica iure optimo maximo in ferri mereatur.

§. DCCXCIIII.

Capitis doloribus vſu externo ſpecifi mederi perhibetur radix rhodia: ſed mod adhibendi nondum eſt exploratus, aut ſalte non ſatis, quod mihi conſtet, deſcriptus.

§. DCCXCV.

Poſſet hic catalogus ſpecificorum valde am plificari, ſi deberent omnia adduci, quæ vete certis viſceribus & membris morbisque ta quam appropriata deſcripſerunt, vt cephali ſplenetica, cordialia, vterina, pectoralia, o thalmica, otica, ſtomachica: in quibus re ra vix licet quicquam ſpecifici agnoſcere.

§. DCCXCVI.

Paucis adhuc dicendum videtur de amu & ſympatheticis remediis. Amuletica di tur, quæ extus corpori appenſa, aut alias mota ad morbos arcendos in ſenſibilior aliquid, ſæpe etiam ad curandos, aliquid unt.

§. DCCXCVII.

Non autem puto ſignacula character verbisque nihili conſignata decere medi quippe nulla alia re, quam ſpem & fidu

er

erigendo, iuuare valent: quod quum ſæpe ſine effectu fiat, & tempus interea terendo morbus inualeſcat, vix quisquam talia laudare ſuſtinuerit.

§.DCCXCVIII.

Mitius autem iudicandum exiſtimauerim, ſi res quædam naturales, medicinali virtute pollentes, adhibeantur eo ſcopo, vt morbis graſſantibus ægroti ea geſtent: quippe reuera nemo poterit ad liquidum demonſtrare, an effectus bonus, quem plures ſe deprehendiſſe prædicant, non ſit in illo remedio, quod fuit adhibitum, & ex eo emanauerit.

§. DCCXCVIIII.

Sic forte nemo demonſtrauerit, qui fiat, vt radix plantaginis vel colchici in peſtilentia aliisque morbis contagioſis bonam exſerant efficaciam præſeruando homines: ſed fatentur tamen experti, multum ſibi profuiſſe.

§. DCCC.

Multa celebrantur huius generis: vt Iaſpis ruber, vel punctis rubris interſperſus, cuius vim in cohibendo ſanguine non ſolum Boethius a Boot, verum etiam acerrimus naturæ explorator Boylæus ex autopſia commendant.

§. DCCCI.

Bufones exſiccatos, ſindoni inuolutos & ſub axilla detentos ſanguinem fluentem in ſenſibilioribus cohibere, multorum teſtimoniis confirmatur.

§.DCCCII.

Incontinentiam vrinæ a partu difficili, quando vagina exulcerata vlcus ad collum veſicæ

propagauit, bufonum combuſtorum puluere in ſacculo ex collo geſtato curari Henric. ab Heer teſtatur.

§. DCCCIII.

Radicem telephii ex collo per dorſum dependentem hæmorrhoidum cæcarum doloribus mederi in ſenſibilioribus vtique ſubiectis, non eſſe vanum, fertur.

§. DCCCIIII.

Curationes ſympatheticæ multæ laudantur, quarum aliquæ absque ſuperſtitione videntur abſolui, itidemque ſubiectis potiſſimum ſenſibilioribus profunt: aliæ adiectas habent vel vanas vel impias conditiones ratione loci, temporis, verborum recitandorum: de quibus Paracelſi Helmontiique diſcipuli præcipiunt, quod ſerio accurateque obſeruari debeant, quod ſi minus fiat, magnum incurri diſcrimen. Has poſterioris generis vitare decet cordatum medicum.

§. DCCCV.

Prioris ſpecimina ſiſtunt varii modi verrucas inſenſibiliter auferendi, vt ſi quacunque re, quæ facile putreſcat, fricentur, eaque in locum vel abiiciatur, vel ſepeliatur, vbi promte computreat.

§. DCCCVI.

Quin exempla ſunt, ſola frictione ad lunæ decreſcentis lumen diligenter facta, eas diſparuiſſe. vide Iunck. excell. chir.

§. DCCCVII.

Pertinent eo curationes ſtrumarum aliarumque

que excreſcentiarum, vt & herniarum, tactu manus mortuæ quæſitæ. Aliqui requirunt manum hominis phthiſi exſtincti, vel induſium, quod vltimos ſudores in agone mortis conſtituti hominis excepit: quod quidem periculo non ſemper caret, præſertim in homine ad phthiſin diſpoſito.

§. DCCCVIII.

Quidam febrium intermittentium curationem promittunt, ſi fruſtum carnis in vrina ægroti decoquatur, canique famelico deuorandum obiiciatur.

§. DCCCVIIII.

In aridura partium ſæpe fuit ſaluti, vt mihi a viro non vano relatum eſt, ſcarificatio in parte areſcente ipſa hora nouilunii inſtituta; ſanguis goſſypio excipiendus eſt, altera parte axungia a rotarum axibus illita. Vtrumque indatur pyxidi ex lamina tenui factæ, cum pilo ſub alis ægroti reciſo & vnguium reſegminibus, tum arbori vegetæ apte in hanc rem perforandæ tota pyxis includatur, prouideaturque, ne quis arborem ſuccidat.

§. DCCCX.

Ad tumores ſcirrhoſque mammarum commendatur cum particula terræ exſcindenda plantula piloſellæ, mammæ, vt leuiter incaleſcat, imponenda: deinde in locum ſuum vna cum terra apte referenda, vt porro vegetet & ſuccreſcat. Scio, fuiſſe non ſine omni fructu experimentum inſtitutum.

§.

§. DCCCXI.

Vulgare experimentum plebis Saxonicæ hordeolo palpebrarum correptæ hoc eſt. Mittunt ad lanionem eumque rogant, vt fruſtillum carnis rubentis reciſum ſeorſim ponat. Hoc tacite abiens homo aufert, accedit ad puteum & ipſi adſtans, tergo ad puteum conuerſo, poſt ſe reiicit, vt in puteum decidat.

§. DCCCXII.

Ad dentium dolores multi multum fidunt huic curationi. Quærunt in caulibus cardui Mariæ dicti, quando ſemen iam matureſcit, vermes ibi contentos. Hos eximunt & exſiccant, tum homini curando 5. vel 7. calamo ſcriptorio incluſos collo alligant, vt in dorſo dependeant, poſt 14. vel 20. dies in aquam profluentem abiiciunt.

§. DCCCXIII.

Quantum de puluere ſympathetico promittatur, res eſt notiſſima: plura autem curationum huius generis exempla facile vel a ſcriptoribus medicis, vel a vulgo licebit exquirere & colligere. Nos telam hic abrumpendam cenſemus, ſimulque toti huic tractationi imponimus

F I N E M